# ANTONII MARIÆ GALA
## ACHERONTINI
## DE
# PHILOSOPHIÆ
## DIGNITATE
ADVERSUS EJUS QUOSDAM VITUPERATORES
# DISSERTATIO.








NEAPOLI
MDCCXCI.



Apud RAYMUNDIOS.
*Superiorum permissu.*

——— λογος δ' ερυμ' ανθρωποισι.

Της και θεοπνευσυ σοφιης λογος βετιν αριστος

Βελτερος αλκηευτος εφυ σεσοφισμενος ανηρ

Αγρυς, και πολιας σοφια και νηα κυβερνα

*h. e. ratio est propugnaculum hominibus. Sed divinitus inspirata sapientiæ ratio est optima. Præstantior est robusto vir sapientia præditus. Agros, Urbes, & naves sapientia gubernat.*

Phocilides in poem. admonit. vers. 121.

*NOBILISSIMO*
SPECTATISSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE
VIRO

# D. ANTONIO. PIGNATELLIO

REGIÆ. NEAPOLITANÆ. ACADEMIÆ
PRÆSIDI. ORNATISSIMO
BELMONTIS. PRINCIPI

&c. &c. &c.

*ELEGANTIORUM. LITTERARUM*
*INGENUARUMQUE. ARTIUM*
*ADMIRATORI. CULTORIQUE*
*EXIMIO*
*HINCQUE. OMNIUM. QUI. ILLAS. AMANT*
*SUSPICIUNT. COLUNT*
*FAUTORI. ATQUE. PATRONO*
*AMANTISSIMO.*
AD. AVITÆ. LAUDIS. HONORES
MAGNIS. PASSIBUS
PROPERANTI



# SUO LECTORI

## PHILOSOPHO

## ANTONIUS MARIA GALA

## S.



*Rodeat tandem, humanissime Lector, hæc mea* de Philosophiæ dignitate adversus ejus quosdam vituperatores dissertatio, *sed sat cito, si sat bene, præter expectationem meam nunc illa lucem conspicit, ante enim aliquot menses, cum adhuc Acherontia essem, iisque studiis omnes prorsus animi mei vires vel mascule quidem impenderem, libellum hac de re conscribere decreveram, sed postquam quædam jam essent parata, ani-*

*animum scriptum perficiendi plane abjeci; tum quia patriis Laribus relictis, ac a dulcissima meorum conversatione veluti abstractus, huc me Neapolim praestantissimam urbem contuli, ut sub praeclarissimi viri* D. DOMINICI SARNO (*de cujus ingenio, doctrina, modestia, caeterisque virtutibus erit forsan alibi dicendi locus*) *ut sub, inquam, tanti viri disciplina solidam, veramque illam scientiam,* jurisprudentiam *nimirum compararem; tum praesertim quia conscius satis eram quali nunc vivatur aevo, quo cavillandi, ac mordendi impetus omnes, saltem multos, possidet, quo calumniis certare egregia laus censentur, neque veritati, sed affectibus se mancipare pene omnibus placet; ideoque constitueram ignotus potius latere, quam invidorum, ac malevolorum in me animos concitare. Verum paulatim contracta mihi hac in Urbe Regni principe nonnullorum amicitia, cum iis innotuisset quaedam penes me scripta delitescere, saepissime me, ac in dies, ut opus illud pertexerem, interpellarunt, adeo ut tandem aliquando dilectorum meorum petitionibus obstinato animo resistere indecorum ratus, benignas aures praebui. Hinc illam, mi Lector, in lucem editam vides, in qua quid unquam praestitum fueris, ab aliis, quam a me narrarari malo. Omnibus autem num placituri sint hi mei conatus, non est ut operose inquiram, tali enim nunc, ut dixi, vivamus seculo, quo omnibus placere posse non datur. Ne ipse quidem Jupiter aut pluens, aut serenans cunctis placet. Frustra hactenus Coquus talis quaeritur, qui omnium palato cibos gratos praeparare possit. Inve-*

*niun-*

*niuntur enim tales, qui, ut cum Doctiſſimo quodam viro loquar,* nihil aliud ſolent, quam minuta aliorum errata ventilare, & quidquid ignorant, hoc errorem vocare: inter quos illi, qui non ſcribunt, quia nec forſan poſſunt, *ſaltem non bene*, longe acriores, & ſeveriores ſe aliorum operum cenſores ſolent oſtendere, quam qui ſcriptorum ſuorum publicatione, eidem examini ſe ſubjiciunt, quod in alios ſibi ſumpſerunt. *Utcumque tamen ſit tu, mi Philoſophe Lector, benevolo hanc animo opellam excipe, & ſi abs rebus tuis tibi ocii ſit, ut de ea judicare velis, erratis, quibus haud immunem eſſe credo, tua benignitate, qua in aliis uti ſemper ſoles; ignoſce tantum, ac ne ſubrideas obteſtor. Non enim hoc meum fœtus ex animo nimis maturo prodiit, annum quippe meæ ætatis decimum octavum adhuc numero, & decimum nonum, quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit, a meis jam ingreſſum eſſe ſentio. Tuam valetudinem cura interim, & vale.*

# D. DONATO GUGLIELMUCIO

*ANTIQUISSIMÆ, SPECTATISSIMÆ, FLORENTISSIMÆQUE METROPOLITANÆ ECCLESIÆ ACHERONTINÆ CANONICO THEOLOGO, VIRO OB MORUM, AC VITÆ PROBITATEM, INGENII ACUMEN, JUDICII* ΑΚΡΙΒΙΑΝ, *INTELLECTUS PERSPICACITATEM, OB MAXIMAM DENIQUE, SUMMAMQUE DOCTRINAM, ERUDITIONEM, SAPIENTIAM TAM EXIMIO, QUAM PRORSUS INCOMPARABILI*

ANTONIUS MARIA GALA

*Prospera omnia*

*D.*

NOn ignoras, V. Cl., me, dum tu istic ( *Acherontiæ* ) elapso anno singulari quadam cum humanitate vere tua *philosophicas* mihi *institutiones* suppeditabas; philosophiæ laudes ardenti, ac alacri animo, ut quidquid imperitorum quorumdam licentia ad infirmandam illius dignitatem effutiit, quantum in me esset, penitus subverterem, contextere statuisse. Qua de re, cum dissertatiunculam quamdam absolvissem, tibi legendam, ac perpendendam tradere præcipua mihi cura fuit, ut inde tuo judicio vel beare, vel illam condemna-

demnare potuisses; sed tibi, utpote multis, ac gravissimis oneribus presso, eam saltem vel leviter percurrere nullum tempus vacavit, & adhuc certe in tuo scrinio inlecta reperiretur, nisi tandem aliquando a te ego petiissem, ut ei quam plurima, quæ in meis schedis de eadem materia adnotata habebam, adnecterem. Postremo cum hic casu quodam penes me illam reperiissem; ut ultimam ei manum darem, utque eam ederem, ac divulgarem pariter ab amicis quibusdam, multo meis, qui hac quidem in parte, quam par est, & quam ego ipse vellem, studiosiores impulerunt; libenter persuaderi passus sum. Quid enim aut huic tempori, aut omnino conditioni meæ facere convenientius possum, quam ut in hominum animis & quantum utilitatis, oblectationis, splendoris, ac claritatis ex philosophia percipiatur, quantosque ex ejus studio Respublica colligat fructus inspirem? Et revera nobis si ante oculos ponamus omnes ætatis humanæ partes, omnem publicorum temporum varietatem, omnesque instituendæ vitæ rationes, & vias animo, & cogitatione si percurramus; nullam omnino reperiemus, quæ non ita philosophiæ auxilio indigeat, ut eam si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Ea nempe nos ab ipsa, ut ita inquam, infantia, ubi primum firmius incedere cæpimus, honestissimæ voluptatis titillatione allicit, allectos præceptis saluberrimis complet, tum recte, ac bene vivendi vias, quantusque sit in virtute splendor, quanta in vitio deformitas edocet. Quæ quidem omnia toties tu me docuisti, a te ego toties accepi, & nunc denuo

denuo ad te redeunt, Vir præclarissime. In hac porro mea, ut scias, opella vapulat nonnunquam Lactantius, sed hoc sibi imputet, rogo. Ipse enim vanus, absurdus, sibi non constans, innumeris erroribus fœdatus (quod in mea dissertatione jam satis abunde demonstravi) veteres illos Philosophos suis nævis, quantum potest, insimulare, ipsamque philosophiam arrodere, ac dentibus laniare conatur. Et

*. . . . . . . . . . quis, talia fando,*
*Mirmydonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssi*
*Temperet a lacrymis? . . . . .*

Quod si quid inclementius contra se dictum judicat Lactantius, ipse se priorem instigasse adversarium sciat, & si quid, quod reponat ex suis aliquis habeat, lubentissime illum audituri sunt viri Litterati, modo non tam acri, & bilioso stylo, quo in Philosophos utitur Lactantius, rescribat. Crimen vero non judico, me illius errores indicasse; nequeo enim ejus eterodoxas, & paradoxas simul propositiones defendere. Fuit næ, non inficior, sui temporis sydus, sed eclypsibus, maculisque, ut cætera, fuit obnoxium. Audi interim, Vir doctissime: jam ego incipiam denuo opera tua uti, & quidem pro eo, ut jussisti, libere, ac familiariter. Vides meam hanc dissertationem leviusculam fateor, sed vix diobolarem; attamen, ni ejus potuisti autographum, nunc typis datam percurrere te illam tuoque judicio vel adprobare, vel si opus fuerit, improba-

re

re velim, quod si erit, me illam non amplius meam reputaturum scito, idque cito publico notum facere: tam magni nimirum ego tua judicia perpendo. Vale, V. Cl., &, quod ad hodiernum usque fecisti, Antonium discipulum tuum redama, & iterum vale.

*NEAPOLI Tertio Kalendas Septembris.*
*Anno incarnationis Dominicæ.*
MDCCXCI.

# ANTONII-MARIÆ GALA
ACHERONTINI
*DE*
# PHILOSOPHIÆ
DIGNITATE
*DISSERTATIO.*

I. F*Acturus ne operæ pretium ſim, ſi* rem ab acerrimis ingeniis, ac ab eloquentiæ principibus elaboratam, etiam ego tentaverim, *nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim:* nonne enim Tullius, ut innumeros alios latinos ſcriptores omittam, tum in Academicis, ac Tuſculanis QQ:, tum in libris, quos de finibus, ac de officiis inſcripſit, divino ore philoſophiam laudat, eamque ad ſydera uſque extollit? Nonne Plato, Æſchines, Xenophon, Ariſtoteles, nonne-

que tandem omnes veteres, recenſioreſque clariſſimi auctores, qui de ea ſcripſere, illius laudes celebrant, eamque omnium ſcientiarum præſtantiſſimam prædicant? Quod ſi viri iſti tam eleganter, ac mirifice de philoſophia dixerunt, ac in primis Tullius, quo homine nihil unquam rerum natura, ne Demoſthene quidem excepto ſuavius vidit, vel facundius; ad quid etiam ego, qui, & eloquentia enudatus ſum omnino, omnisque artis genere nimis impolitus, ac rudis? Quis enim erit, niſi forte idem velit agere, ac ille ſitiens homo, cui cum fluvius adeſſet limpidus, plenuſque, qui & viſu jucundiſſimus eſſet, & guſtu ſoaviſſimus, optimeque enutriret; ex impelli fonticulo nulla ex parte cum ſuperiori conferendo, potum ſibi neceſſarium adferat; quis, inquam, erit, qui cum philoſophiæ laudes ſibi addiſcere cupiat, potius iſtas velit ex tenui, ac exiguo, quam ex amplis, ac pene divinis tot virorum ingeniis exhaurire? Quod ſi quis erit, qui in horum lectione verſetur, & hanc minus illuſtrem arbitratur; hic, nec Solem, dum oritur, nec Lunam, dum fulget, nec Heſperium, dum occidit, nec Luciferum, dum ſurgit, unquam videbit. Quæ quidem omnia tanti ſunt momenti, ut animum meum a ſuſcepto opere omnino abducere, ac avocare deberent; & revera etiam nunc ſubſiſto, et caput ſcalpo, arrodoque ungues, dum me ad hac de re diſſerendum comparo: horret animus in avia ingredi, ſed durandum eſt, quia, cæpimus, verique

.... *amor*

*. . . . amor gemmatas aureus alas,*
*Et mihi propositum perfice, dicit, opus*

Verum qua id ratione expediam? quid potissimum agam? qua dicendi amænitate, qua vocabulorum luce, qua verborum copia, quo tandem orationis ornatu utar, ut quantum, quod dicturus ero vi sua propria valeat, utpote nihil fraudis, aut mendacii tegens, tantum eloquentiæ, ac ingenii quoque viribus nixum, discussis, convictisque horum, qui Sapientes putantur, ac philosophiam contemnunt, erroribus, clarissimum mortalibus lumen inferret? At quippe, ut Theodoretus, (a) ac Theophilus (b) inquiunt, ita est veritatis natura, ut licet simplex, ac nuda dicatur, locupletior tamen est, quia satis per se est ornata, adeoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur: æquo animo fero mediocre ingenium mihi fuisse concessum. Itaque non eloquentiæ, sed veritatis fiducia suscipio hoc munus, fortasse majus, quam ut possit meis quidem humeris sustineri, quod, etiamsi ego deficerim, annuente Deo, veritas ipsa complebit. Etenim cum sciam maximos quoque oratores a mediocris causidicis sæpe fuisse victos, quod tanta est potentia veritatis, ut seipsam sua claritate defendat; cur hanc ergo ab ingeniosis quidem illis, ac disertis viris, sed tamen falsa dicentibus oppressam iri putem? Ac



(a) *Theod. ad Græcos ser.* 5.
(b) *Theoph. ad Autolycum lib.* 1.

non illa si minus ex oratione nostra, quæ admodum exilis ex tenui fonte emanat, lumine tamen suo clara, & illustris appareat? Sit interim bonis ominibus, secundisque auspiciis, inchoatum hoc opus, atque SUPREMI NUMINIS supplicibus votis implorato auxilio,

*Te sociam studeo scribundis versibus esse,*
*Quos ego* de tua excellentia *pangere conor*,

o philosophia, ut, ut es veritatis amans, tanqum Achilli Homerica Pallas, manum mihi injicias, ut nudo, ac simplici dicendi genere, quale veritatis proprium est, ea, quæ ad rem facere videbuntur, feliciter possim exponere.

II. Satis mihi compertum est, sicut, & varias orbis nationes, quosdam peculiares mores, propensionesque habere, ita & scientias suos sibi peculiares fines vindicare; unde Crotoniatæ oleastrum amant olympicum, Cholophonii, ac Sybaritæ luxum; navali victoria Athenienses delectantur, pedestri Spartani, venatione Cretenses; tum Thebani afficiuntur tibiis, Jonici vero choris; itemque studium dicendi sequitur Grammatica, persuadendi Rhetorica, delectandi vero Poesis: quibus peculiaribus moribus, ut populus quisque, aut per excellentiam, aut contra, ab alio distinguitur; ita suo peculiari fine quælibet scientia a cæteris omnibus, vel quia istis præstet, vel quia infima est, discriminatur. Cum igitur, ut nationum præ-

præſtantiam ex ſingularum moribus, ita etiam ſcientiarum dignitatem ex fine, ad quem earum quæque dirigitur, quemque ſibi proponit, pendi, ac ſpectari oporteat, ut quanto cujuſque finis præſtantior, ac divinior eſt; tanto ipſa cæteris excellere judicetur: quis unquam reperietur, cujus tam ſit flumen ingenii, tanta dicendi, aut ſcribendi vis, tantaque copia, qui ſe ſe de philoſophia pro ipſius dignitate verba facere poſſe confidat? Non enim illa ſibi divitias, ac imperia, non opes, honoreſque proponit, aut quiddam denique hujuſmodi, quo & carere ſine probro, & abundare ſine gloria licet; ſed veram illam, ad quam omnes adſpirant, quam ſibi votis omnibus exoptant, ad quam omnes ſuas actiones, omniaque ſtudia referunt, felicitatem (1). Et proh Dii immortales! quisquis unquam, ſi id ita ſit, quanto cæteris bonis ante ſtat felicitas, tanto quidem philoſophiam cæteris omnibus artibus longe ſatis non excellere judicet? O Divine Plato tua ſunt omnia, & dicta, & cognita præclara. Tu enim, hiſce proſpiciens, dicere quondam

(1) Admonitum hic primum velim *veræ felicitatis* nomine, nihil aliud intelligi, niſi felicitas illa, qua noſtræ in vitæ curriculo frui naturalite poſſumus; non vero ſempiterna illa, & perfecta, quæ nempe ex ſummr boni poſſeſſione naſcitur, de qua Plato ex inſtituto in Phædone diſſerit: & quam virtutis præmium eſſe, poſtquam hinc diſceſſerimus, docuere, Pythagorici omnes, ac in primis Porphyrius περι αποχης εμψυχων, docuere & hoc ipſum Poetæ uſque ab Homero, qui Heroas in conviviis apud Jovem oblectari, & virtutis merito, canunt: tradidit item Ariſtoteles *in Methaphyſicis*, & integro tandem capite Cl: Huetius *lib.* 2. *Alnet. cap.* 1. Dixi autem *veram*, ut ipſammet ab apparenti, & fallaci idiſcernerem, quod quidem ex iis, quæ dicturus ero, mox evidens fiet.

dam ſolebas, philoſophiam unicam, veramque ſcientiam eſſe, cæteraſque vero, & ad alia declinantes facultates, ſi quis ornamenta dixiſſet, recte quidem appellaſse.

III. Verum nonnulli ſunt perverſo homines ingenio, qui, cum eam animo de philoſophia ſententiam imbiberint, ut illius ſtudium leve quiddam eſſe, ac nugatorium, neque aut magnos admodum ab iis labores ſuſcipi, qui eam juventuti tradant, aut magnopere eorum fructuoſam Reipublicæ induſtriam eſſe, exiſtiment; ſapientiſſimum hoc Platonis dictum non poſſunt non valde contemnere, vel eo magis, quod iis, quæ ſupra nos diximus, nixum conſpiciant: quæ omnia ipſi falſa omnino eſſe invicte demonſtrare confidunt. Verum hæſit aqua, dum id efficere ſtudent, cum nullam eorum ſcripta veriratem, doctrinamve redoleant, iiſque potius nihil aliud, quam ſe vafrorum cavillatorum partes impleviſſe, oſtendant. qui itaque furor hic eſt, res luculentiſſimas, cum convelli nequeant, calumniando velle pervertere? Apparet næ quam impotens ſit eorum animus, & quam maligna omnia reprehendendi, maledicendique prurigo ipſis inſideat, qui cum nempe illam de philoſophia, *quod ſibi felicitatem proponat*, ſententiam nullo quidem pacto directe impugnare potuiſſent, ex aliarum oppoſitione illam penitus ſubvertere credunt: hincque ad diverſas omnes veterum Philoſophorum hac de re ſententias nobis opponendas illos accingi videmus, rati,

rati, ut, hisce velut spartis (2) illis Poetarum se invicem jugulantibus, nostra una cum aliis misere quoque periret. Quid, inquiunt nobis illi, quid veram vos felicitatem philosophia inesse contenditis? quid? Nescitis ne vel illos vobis opponi, quos & virtutis magistros, & sapientiæ patres, ac vestræ tandem scientiæ acerrimos, ac præstantissimos toties nuncupatis patronos? Nonne igitur eodem, quo nos conficere arbitratis mucrone, vosmetipsos quidem modo transfigitis? Nonneque ipsamet tela a vobis in nos omnes parata in vosmetipsos modo convertitis. Et re vera Stoici si interrogentur (c), in quo sit vera felicitas, illam *virtute*, non *philosophia* inesse respondunt. Hoc Aristippus (d), vel quis alius adversariorum negat, atque

(c) *Apud Laer. l. 7. de Zen. & Crys.*, *& apud Cic. l. 4. de fin.*

(d) *Apud Laer. l. 2. Athenæum l. 12. & Galen. in hist. phil.*

---

(2) *Sparti illi Poetarum* sunt homines illi e dentibus serpentis a Cadmo satis orti: fabula notior est, quam referri debeat. Hoc vero addam, spartos illos a græco nomine vocari *σπειρω*, hinc *σπαρτι sati*, *seminati*, quod verbum latino more scripsimus: sic etiam Plinius græcum nomen tanquam latinum scripsit *probata* dicens *pro ovibus lib*: 7 *c.* 2. Sic alicubi Virgilius *acta* quod est *ακτη littus* dixit.

que illam *in corporis voluptate* ( 3 ) reponit : Clamant Zeno , & Crysippus, totaque illa Porticus tumultuatur , hominem natum ad nihil aliud , quam honestatem: ipsam suo sblendore in se

(3) Non desunt, qui cum Aristippi *de felicitate* sententia illam Epicuri confundunt, unamque faciunt. Miror profecto, & præsertim cum Cll: quoque viros idipsum adfirmare conspiciam. H' δονη ( *voluptas* ) enim illa Epicuri non consistebat in voluptatibus libidinosis , sed in perfecta doloris, & perturbationis privatione, ut ipse testatur apud Laert: d. l. *Quando igitur*, ait, *voluptatem felicitatem dicimus ; non dicimus voluptates intemperantium, neque eas , quæ sitæ sunt εν απολαυσει ( in fructu Veneris ) id, quod quidem imperiti, aut dissentientes putant, sed illud μετε αλγειν κατα σωμα μετε ταραττεσθαι κατα ψυχην, neque dolere corpore neque perturbari animo* . Ibidem paulo ante corporis sanitatem, & animi tranquillitatem αταραξιαν, beate vivendi finem esse , ait . Quibus adstipulatur Torquatus Epicuri dogma defendens apud Tull: de Fin: Lib. 3. cap. 2. *Maximam illam* , inquit, *volumtatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto, nam quoniam dum privamur dolore , ipsa liberatione, & vacuitate omnis molestiæ gaudemus, omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne id, quo offendimur, dolor: doloris omnis privatio recte nominata est voluptas . Ut enim cum cibo , & potione fames, sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiæ consecutionem affert voluptatis : sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis*. Mox. *Omnis autem privatione doloris, putat Epicurus, terminari summam voluptatem , postea variari voluptas , distinquique possit, augeri, amplificarique non possit*. Iterum. *Summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere*. Apparet itaque quid fuerit ejus H' δονη, quid ejus felicitas, quam una cum Diodoro, & Hyeronimo *in doloris privatione* illum cullocasse, ex hucusque dictis manifeste, opinor, evincitur. Unde Seneca, licet Stoicus, sæpe Epicuri hac de re sententiam ab omni flagitio liberat : & purgat : a qua tamen neuticam excludebatur corpus, quia ut ibidem Torquatus ille c: 17 *Animi voluptates, & dolores nasci fatemur e corporis voluptatibus, & doloribus*. Immo vero, teste Gellio lib. 9 c. 5 Ipse Epicurus valuptatem definit σαρκος ευσταθες καταστημα, *Carnis sanam, vel firmam constitutionem*, haud dubie, quia tunc animus optime fungitur suo officio. Nihil itaque mirum, toties dixisse Epicurum cum Jove etiam paratum esse de felicitate certare, modo aquam habeat, & offam, ut est apud Ælian: V. H. lib: 4, & ut ipsamet in epist: ad Menecæum apud Laer: testatur; unde ad summam voluptatis, ac felicitatis obtinendam dari sibi solum υδορ και μαζαν, η αρτον λιτον, *aquam & pultem, aut panem vilem* exoptabat, quia sic, & corpus, & Mentem recte poterat regere, ac continere. Ad animi item A' ταραξιαν requirebat quoque justitiam, & probitatem, si fides ipsi, *ipse enim Epicurus*, ut Cassius inquit ad Cic: famil. lib. 15 ep. 19 dicit ουκ εστιν ηδεως ανευ τε καλως και δικαιως ζην, *non potest jucunde vivi, nisi ob honestatem, & justitiam*. Et ipsamet Tullius Fin. lib. 1 c. 18 *Clamat*, inquit, *Epicurus, is, quem vos nimis*

ſe animos ducere, nullo prorſus commodo extrinſecus poſito, et quaſi lenocinante mercede; voluptatemque illam Ariſtippi ſolis inter ſe pecoribus eſſe comunem, in quorum ſocietatem, et hominem, et ſapientem trudere, nefas eſſe: contra ille, convocata de hortulis in auxilium quaſi libera turba temulentorum, quærentium tantum, quem incomptis unguibus baccantes, aſperoque ore diſcerpant, *voluptatis* nomen ſoavitatem, quietem, teſte populo, exagerans, inſtat acriter ut ſine ea, nemo *felix* eſſe poſſit. In quorum rixam ſi Calliphon, vel Diodorus incurrunt, utramque opinionem negant, atque ille (*f*) *in voluptate cum honeſtate conjuncta*, hic (*g*) *in do-*

B *loris*

(f) *Apud Suid. in lit. κ. & Strab. in fin.* 17.
(g) *Apud Tull. de fin. lib.* 2.

*nimis volopt atibus eſſe deditum dicitis, non poſſe jucundi vivi, niſi ſapienter, honeſte, iuſteque vivatur; nec sapienter, honeſte, juſte, niſi jucunde.* Qnibus ex omnibus Epicnri *de felicitate* sentetiam quis ab illa Ariſtippi, ac Cirenaicorum omnium immane quantum differre non videt? Poſſem vero, ſi id mihi ex inſtituto ſuſcepiſſem ad hoc ipſum comprobandum multa heic alia recenſere, ſed ſufficiet mihi hæc paucula inpreſentiarum adnotaſſe, ut rationes meæ innoteſcant, quare non idem conſendum ſit de Epicuro, quod Taurus, aliique ex Hieroclis ſententia *ηδονης τελος πορνης δογμα* apud Gellium lib: 9 c: 5 appellant, alias forte de eo plura dicturo. Verum, quecumque tandem ſit iſta Epicuri ſententia, procul omni amore, atque odio, peccat in hoc profecto, quod vocabulum Ἡ*δονης* (*voluptatis*) ut ſummam hominis felicitatam in ea collocaret, ipſe adhibet potiſſimum, cum illud in medio hominum uſu maximam illam *απολαυσιν*, qua cum gaudio homines affectibus ſuis indulgentes fruuntur, denotet. Unde ſit, ut homines libidinibus dediti, cum a ſapientibus *in voluptate* felicitatem eſſe audiant; ſuis vitiis patrocinium quærunt, ipſarumque peccandi verecundiam amittunt, nihil de eo ſolliciti, *quæ ſit Epicurea voluptas*, quum quisque ſuæ voluptatis ſeipſum optimum imperatorem putet. Recte ergo Seneca de Vit. beat. c: 13. *Hoc eſt*, inquit, *cur iſta voluptatis laudatio pernicioſa ſit, quia honeſta præcepta intra latent, quod vero corrumpit, apparet.*

*loris vacuitate* felicitatem inesse toto nititur demonstrare conatu. Et en mirifica opinantium discrepantia! en mirificus sententiarum dissidio! una aliam diruit, alia opponitur unæ, singulæ tamen pereunt. Si igitur singulæ sectæ, multarum sectarum judicio, stultitiæ convinguntur; omnes itaque vanæ, ac inanes reperiuntur: ita seipsam philosophia consumit, ac conficit. Quod cum intelligeret Arcesilas Academiæ (4) conditor reprehensiones omnium inter se collegit, confessionemque ignorantiæ Cll Philosophorum, armavitque se adversus omnes, et ita constituit novam non philosophandi philosophiam.

IV. En itaque quo primi adversariorum in nostram Scientiam conatus respiciant, in quibus quidem refellendis, ne a claritate discedamus; ab ipso Arcesilao, quem una cum omnibus ejus Academiæ cultoribus, nunc primum adversus nos illi in scenam protulerunt, sermonem ducemus. Hic ergo Arcesilas Theophrasti primum, ac deinde alio-

(4) Novæ, scilicet ut Tullio placet, quamquam hic non novam, sed *mediam* constituerit *Academiam*. *Ουτος εστιν ο της μεσης Ακαδημιας καταρξας πρωτος επισχων τας αποφασεις διατας εναντιοτητας των λογων: Primus hic mediam invexit Academiam adsensum continens propter sermonum contrarietates, primusque in utramque disserere partem agressus est.* Hæc Laertius, qui vitam ejus scripsit lib. 4. c. 5. Verum, ut Tullium cum Laertio conciliemus, dicendum est, vel quod ille hanc *novam* ocaverit Academiam *veteris illius* respectu, nullaque *nova*, Carnealis scilicet, habita ratione: vel quod, & in *media*, & in *nova* eadem viguerit doctrina, quod probabilius dici potest. & ex ipsis Tullii verbis in fine P. p. QQ. Academ., si attente considerentur, evingitur. Veterem enim hic Academiam Platonicam illam vocat, novam, quæ usque ad Carneadem perducta est, qui quartus ab Arcesila fuit, in eademque Arcesilæ ratione permansit. Sic arbitror. Sic tibi candidus, amice Lector, impartior.

aliorum auditor, vir excellenti ingenii acumine præditus, omnique virtutum genere modestia in primis, ac prudentia instructus, in veteris Academiæ reformatione, ac novæ institutione intentus; rigidiora omnia illius dogmata paullum primo mitigavit, deindeque omnino deseruit, atque Zenoni eximio nimirum illo Stoicorum principi, ut putatur, obtrectans nihil novi reperienti, sed emendanti Superiores: immutatione verborum, dum hujus definitiones labefactare vult, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere: obstrusaque esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit, reperiri posse, adfirmans. Cujus quidem sententiæ, si tantisper nares admoverimus, quis, nisi stupidus, statim errorem subolere non sentiet? Quis non ejus amentiam vel unico plane intuitu in illa deprehendet?

*. . . . . . . risu diducere rictum*
*Quis neget excipiens fatui hæc effata sophistæ?*

Non ita Orestem sanguine fœdatum materno Græcia vidit insanire, nec ita Penthea furiis Bacchi exactum ultricibus, aut tot signa furoris conscenso is superedidit Œta, quem contacta centaureo subucula viro, se vivum tradere flammis sacrifigis egit, in numerum Deorum ut iret, ipsa invita Junone. *Sed abeamus a fabulis*, ut Tulii voce utar, *propriora videamus*. Quid si in illa Academia, antiquo nimirum Athenarum gymnasio, ac Divini quondam Platonis domicilio, ejusdemque disputationi-

bus illustrato, ipsum nunc Arcesilaum palliatum (5) videremus de *nihilo* differentem, deque omnibus cohibentem adsensum, nonne *spectatum admissi* totum illud lycæum (in quo, ut lasciviæ, ac ignaviæ inaccesus locus ille serveretur, ridendi potestatem haud fuisse perhibetur (*h*) effusis nos cachinnis, clamoribusq. impleremus? Quid enim stultitiæ, ac temeritatis est, *nihil sciri posse* adfirmare, si sint multa, *quæ*, ut præclare inquit Lactantius (*i*) *natura ipsa nos scire, et usus frequens, et vitæ necessitas cogit? Itaque pereundum est, nisi scias, quæ ad vitam sunt utilia, ut appetas, quæ periculosa, ut fugies, ac vites; præterea multa sunt, quæ usus invenit, nam Solis, ac Lunæ varii cursus, et meatus sylerum, et ratio temporum deprehensa est, et natura corporum a Medicis, herbarumque vires; et Agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurorum, et tempestatum signa collecta sunt. Nulla denique ars est, quæ non scientia constet. Debuit ergo Arcesilas,* si

(h) *Ap. Ælian. V. H. l. 3.*
(i) *Lactan. divin. instit. lib. 3., seu de fal. sap.*

---

(5) Philosophorum propria hæc vestis fuit, ut apparet ex dicto Herodis Attici apud Gellium lib. 9. *Video*, inquit, *barbam & pallium; Philosophum non video*. Apud Græcos in usu præcipue fuit, hinc *palliati* sumuntur pro Græcis, sicut pro Romanis *Togati*. Dictæ praterea tabulæ *palliatæ*, in quibus inducebantur Græci, sicut *Togatæ*, in quibus Romani. Comune utrique sexui fuisse illam vestem colligi potest ex Ulpiano Tacito, qui promiscue appellat pallia. Martialis

*Hanc velo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur*

Scripsit quoque Lampridius *Matrones regias contentas esse debere unico pallio auro sparso*. Etiam in lecto usos fuisse veteres significare nobis videtur Ovidius lib: 1. Amor: eleg: 2

. . . . . . . . . . *Nec in Lecto pallia nostra sedens*

*Ex Fungero*

*si quid saperet, distinguere, quae sciri possent, quaeque nesciri. Sed si id fecisset, ipse se in populum redegisset, quippe vulgus interdum plus sapit, quia tantum, quantum opus est, sapit; a quo, si quaeras, utrum sciat aliquid; dicet se scire, quod sciat, fatebitur se nescire, quae nesciat.* Verum ad quid haec ex infinitis depromere, si ipsemet etiam Arcesilas nihil adfirmantis Academiae antistes, dum *nihil sciri posse* contendit, aliquid tum quoque sciri, invito pectore, adfirmat? Cui sic quondam manum Cl. Romanorum Poeta Lucretius adiit (*k*).

*Denique nihil sciri, si quis putat, id quoque nescit*
*An sciri possit, quam se nihil scire fatetur.*
*Hunc igitur contra mittam contendere causam,*
*Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.*

Ut enim *nihil sciri posse* sciendum sit, *aliquid sciri* necesse est; nam, si omnino *nihil sciatur*, idipsum *nihil sciri posse* tolletur. Itaque dum quis *nihil sciri* pronunciat, ac tanquam praeceptum profitetur, & cognitum, hic nae tum *aliquid sciri posse* adfirmat. Cui simile illud est, quod in asystati generis exemplum in scholis quondam proponi solebat, *somniasse*, nimirum, *quemdam, ne somniis crederet*; nam si credidisset, tunc sequebatur, ut credendum non esset; si vero non credidisset, tum colligebatur, ut credendum esset. Hinc praecla-

(k) *Lucret. rer. nat. lib. 4.*

clare Tullius: *si dicent*, inquit (*l*) *ea*, *de quibus differunt*, *se dilucide perspicere*, *nec ulla comunione visorum impediri*: *comprehendere ea se posse fatebuntur*; *sin autem negabunt vera visis a falsis posse distingui*, *qui poterint longius progredi*? *occurretur enim*, *sicuti occursum est*, *nam concludi argumentum non potest*, *nisi his*, *quae ad concludendum sumpta sunt*, *ita probatis*, *ut falsa ejusmodi nulla possint esse*. *Ergo si rebus comprehensis*, *& perceptis*, *visa*, *& progressa ratio hoc efficiat*, *nihil posse comprehendi*; *quid potest reperiri*, *quod ipsum sibi repugnet magis*? Ita *si nihil sciri potest*, necesse est, idipsum, *quod nihil sciatur*, nesciri. Sin autem scitur, *nihil posse sciri*, falsum est ergo, quod dicitur, *posse nihil sciri*. Sicque inducitur dogma, quod a sanae mentis viris nonnisi sibi ipsi repugnans, seque dissolvens judicatur.

V. At cum hujusmodi hominibus, qui quid verum, quid falsum, quid certum, quid incertum sit prorsus ignorant, & se ignorare gloriantur, non esset quidem nobis amplius disputandum; verum, ut Arcesilae illius, ejusdemque sectae sodalium audaciam magis heic retundamus, ut erroris sui illi magis convingantur, utque omnes tandem conatus eorum rescidamus; ulterius urgere hanc materiam bene nos consultum ducimus: & licet illud quoque ipsis, *quod nihil* nimirum *sciatur* (cum nihil antea veri in rebus vi-

(l) *Cic. in Lucul.*

viderint ) scire concedamus: id vero nobis tantum inquirere liceat, undenam, nimirum, quid sit hoc scire, quid hoc nescire, quidque notitiam veri falsique creaverit, quidque etiam docuerit certum a dubio differre, unquam ipsi cognoverint? Haud dubie invenient hanc notitiam a sensibus ortam. Sed hi veritatis criteria, quæ tantopere ipsi insectantur, esse demonstrant: id enim veritatis criterium sit necesse est, quod falsum corrigere, & refutare possit; illud vero faciunt sensus, ipsos autem quid corrigat, aut refellat? An ratio potest illos refutare, qui nisi sint veri, necesse est, falsa quoque illa evadat? An alii igitur sensus convingent & alios? hoc minime quoque dicendum, nam singuli circa propria sua objecta versantur; an enim poterunt aures reprehendere oculos, an tactus aures, an gustus denique tactum? Singulis porro sensibus sua propria vis est, ac potestas distributa, atque ideo necessum est, ut quod molle, aut durum, quod gelidum, aut calidum est, id ab uno tantum sensu percipiatur, ut & ab oculis colores, soni ab auditu, a gustu sapores, odoresque ab olphactu sentiuntur. An iidem tandem sensus seipsos emendent? Sed & id ne dici quidem potest, quoniam æqua semper iis fides est adhibenda, ideoque id verum est, quod his sensibus fuit quolibet tempore visum. Et licet forsan animus nequeat reddere causam, cur corpora quadrata eminus visa appareant rotunda; melius tamen ille, qui hanc dis-

fi-

ficultatem non valet explicare falsas causas redderet utriusque figuræ, quam manifesta, & aperta e suis manibus amitteret, fidemque primam violaret. Satius quippe, dicam, est negligere ista problemata, aut qremcumque dicere causam, quam sensibus diffidere, quibus tota vita, salusque innitatur, sine enim illis, & salubria eligere, noxiaque vitare non possumus. Nam non ratio tantum omnis corruat necesse est, sed ipsa quoque vita, ut diximus, collabatur, sensibus nisi illis fides præbeatur: omnia igitur argumenta, quæ contra sensuum certitudinem, ut ejus ille dogma περι παντων επεχων constituat, colligere, & explicare potest Arcesilas, quis nisi cæcus, omnino vana, ac futilia esse non videt?

VI. Verum dum illum, qui velut perduellis scientiam omnem subvertere putavit, refelluimus, quid næ præclari quidem efficimus? Ludicrum enim, aut *insaniam*, ut inquiunt, refutavimus; debemus modo, quod gloriosius erit, veteres illos, qui non Athenas tantum, verum totum orbem, tanquam tot lucentissima sydera sua luce collustrarunt, Philosophos, Pherecidem nempe Syrum, Anacharsim Scytham, Pythagoram Samium, Empedoclem, Agrigentinum, Zenonem Eleatem, Heraclitum, Anaxagoram, Democritum, Socratem, Platonemque, e quibus ille (ut horum omnium auctoritate æstimationem coarguisset eorum, qui ingeniis suis erutam esse, atque inventam veritatem putassent) suum dogma temerario tradidit acceptum

ptum; illos omnes, inquam, debemus, a b hac quidem scepticismi criminatione vindicare. Sed & quid unquam nobis heic quoque erit elaborandum? Quid ita? fuit nempe, qui prorsus divinæ eloquentiæ viribus, incomparabilique dicendi genere omnes Arcesilai conatus invicte refrinxit, calumnias omnes dissipavit, audaciam retudit, errorem declaravit, ipsamque philosophiam velut ex integro interpolavit: & hic ille L. Lucullus fuit multiformibus quidem eminens, teste Tullio, disciplinis, acerrimus ille philosophiæ defensor, qui cum bene jam ab illis viris constitutam ab Arcesilai calumniis eversam illam vidisset, sumpto statim cothurno viriliter in eum surrexit. *Idem*, inquit, (m) *o Arcesilae, facere mihi videris, cum veteres philosophos, tamquam tui dogmatis patronos, nominas, quod seditiosi cives solent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicunt fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Repetunt jam a P. Valerio, qui exactis regibus, primo anno consul fuit: commemorant reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerunt, cum consules essent: tum ad hos notiores C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante secundum punicum bellum tribunus plebis tulerit, invito Senatu, & postea bis consul factus sit. L. Cassium, Q. Pompejum illi quidem, etiam P. Africanum referre in eundem numerum solent. Duos vero sapientissimos & Cll. Fratres*



(m) *Apud Tullium QQ. Academ. lib. 2.*

*tres* (6) *P. Crassum*, *P. Scevolam ajunt Tib. Gracco auctores legum fuisse*, *alterum quidem*, *ut videmus*, *palam*: *alterum*, *ut suspicamur*, *obscurius*. *Addunt etiam C. Marium*, *&* *de hoc quidem nihil mentiuntur*. *Horum nominibus tot virorum*, *atque tantorum expositis*, *eorum se institutum sequi dicunt*. *Similiter tu cum perturbare*, *ut illi remp. sic tu philosophiam bene jam constitutam velis*, *Empedoclem*, *Anaxagoram*, *Democritum*, *Parmenidem*, *Xenophanem*, *Platonem etiam*, *&* *Socratem profers*. *Sed neque Saturninus* ( *ut nostrum inimicum potissimum nominem* ) *simile quicquam habuit veterum illorum*, *nec tua calumnia conferenda est*, *o Arcesilae cum Democriti verecundia* . . . . . . .

*Quod si illi tum in novis rebus*, *quasi modo nascentes*, *hæsitaverunt*, *nihil ne tot sæculis*, *summis ingeniis*, *maximis studiis explicatum putamus*? *Nonne cum jam Philosophorum disciplinæ gravissimæ constitissent*, *tum exortus es*, *ut in optima rep. Tib. Graccus*, *qui ocium perturbaret*, *sic tu Arcesilas*, *qui constitutam philosophiam everteres*, *&* *in eorum auctoritate delitesceres*, *qui negassent quicquam sciri*, *aut percipi posse*? Absolvendi sunt itaque ab hæresi tua, veteres illi, nemo enim unquam eorum dubitavit plurima a nobis certo cognosci, li-

(6) Quod *fratres* hic Lambinus tollat, nihil necesse est. Fuisse enim hos fratres scribunt nominatim Cicero, & Gellius, & Pomponius Jurisconsultus. Ad rem vero quod attinet, Crassum favisse Graccho suspicari licet ex Plutarcho, qui de Scævola dicit aperte, ut hic Cicero, dum inducit Nasicam dicentem in Gracchis p. m. 833. E' πει τοινυν, εφη, προδιδωσιν ο αρχων την πολιν &c: Hæc *Faber* ad hunc Tullii locum in voce *fratres*.

licet omnes docuerint plurimis nos erroribus ſubagitari, plurima ignorare, pleraque etiam ſcire nullo modo nos poſſe. Quæ philoſophandi ratio prudens eſt, & modeſtiſſima: ſunt enim ſtati cognitionis humanæ termini, quos qui audacter prætergreditur, in avia eat neceſſe eſt. Plurima quippe ſunt, quæ non contingunt ſenſus, alia, quæ extra ambitum intellectus vagantur, ac ſola ſupremæ mentis beneficio hominibus patefieri poſſunt (7).

VII. Diximus de Arceſilao, ac de tota media Academia, quam breviter potuimus: nunc ad noſtros adverſarios denuo veniamus, non ut cum iis decertemus, ſed ut potius eos fugientes noſtro campo inſequamur. Celeberrima eorum putatur, quæ vanitatis, ac ſtultitiæ philoſophiam arguit ſententia, propterea quod quælibet ſecta aliam prorſus diruat, ac opprimat; ſed quid næ unquam hoc ſtultius, ac ineptius dici, vel concipi queat? diſſentimur quotidie inter nos Philoſophi non alio, niſi quia veritatem inveſtigare conamur; cum enim una, ac ſimplex veritas ſit, ad quam quidem inveniendam inſito, ac inſatiabili quodam appetitu omnes ducuntur: cumque vero ſinguli qualibet in re quaſi alicubi jacen-



(7) *Alii putarunt*, inquit Lactantius de Fal. Sap. n. 6., *ſciri omnia poſſe, hi ſapientes utique non fuerunt. Alii nihil, ne hi quidem ſapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt: hi, quia minus, utriſque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo ſapientia eſt? ut neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt, neque omnia neſcire, quod pecudis eſt. Eſt enim aliquod medium, quod eſt hominis, ideſt ſcientia cum ignorantia conjuncta, & temperata.*

tem, omnibusque prorsus ignotam, tamquam *tibias ad fontem* (8), ut poetæ ferunt, ſe ſe illam inveniſſe, propria conſcientia, proprioque judicio fulti, confidant; hinc eſt, quod cum nemo

(8) Proverbium hoc eſt caſus fortuiti, natum ex fabula Marſyæ Phrygis. Sed cur non eam adeo ex Hygino referam? Minerva tibias dicitur prima ex oſſe cervino feciſſe, & ad epulum Deorum cantatum veniſſe. Juno, & Venus cum eam irriderent, quod & cæſia erat, & buccas inflaret, fœda viſa, & in cantu irriſa, in Idam Sylvam ad fontem venit, ibique cantans in aqua ſe adſpexit, & vidit ſe merito irriſam; unde tibias ibi abjecit, & imprecata eſt, ut quiſquis eas ſuſtuliſſet gravi afficeretur ſupplicio, quas Marſyas Oeagri filius paſtor, unus ex Satyris invenit: quibus aſſidue commeletando, ſonum ſuaviorem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharae cantum in certamen provocaret. Quo ut Apollo venit, Muſas judices ſumpſerunt, & cum jam Marſyas inde victor diſcederet, Apollo citharam verſabat, idemque ſonus erat: quod Marſyæ tibiis facere non potuit. Itaque Apollo victum Marſyan ad arborem religatum Scythæ tradidit, e cujus ſanguine flumen Marſyan eſt appellatum. Refertur etiam a Palæphato non longe a fine: item a Johanne Tzetza Chiliade prima de V. H. Mytholog am vide apud Fulgentium lib. 3. Plato, & Ovidius ſatyrum fuiſſe ſcribunt, Palæphatus ἀγροικον vocat generaliori vocabulo, neque de parente conſtat, quod ex ſequentibus clarius fiet. Sed quia in tibiæ inventionem Incidimus Plinii, & Apuleii ſuper hac re verba adſcribimus. Plinius lib. 7. cap. 56. *Muſicam Amphion, fiſtulam Pan, monaulum Mercurius, obliquam tibiam Mydas in Phrygia, geminas tibias Marſyas in eadem gente, lydios modulos Amphion, Dorios Thamras Thrax, Phrygios Marſyas Phryx. &c.* Apulejus lib. 1. Floral. *Hyagnis*, inquit, *fuit, ut ſando accepimus, Marſyæ tibicinis pater, & magiſter rudibus adhuc muſicæ ſeculis, ſolitus ante alios cantus canere. Nondum tam inſeſſa anima ſono nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia. Quippe adhuc ars iſta repertu novo commodum oriebatur: nec quicquam omnium eſt, quod poſſit in primordio ſui perfici: ſed in omnibus ferme ante eſſe ſpei rudimentum, quam rei experimentum. Prorſus igitur ante Hyagnin nihil aliud plerique callebant, quam quod Virgilianus opilio, ſeu bubſequa,*

„ Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen

*Quod, ſi quis videbatur paulo largius in arte promoviſſe, ei quoque tum mos fuit una tibia, velut una tuba perſonare. Primus Hyagnis in canendo manus diſcapedinavit, primus duas tibias uno ſpiritu animavit, primus lævis, & dextris foraminibus acuto tinnitu, & gravi bombo concentum muſicum miſcuit. Eo genitus Marſyas, cum in artificio patris foret tibicinus, Phryx cætera, & barbarus, vultu ferino, trux, hiſpidus, multibarbus, ſpinis, & pilis obſitus, fertur, proh nefas! cum Apolline certaviſſe.* Cæterum de illo certamine, & de Marſyæ excoriatione lege Ovid. lib. 6. Diodorum Sicul. lib. 4. Antiquit.

mo de se recte possit judicare, ut nobilis Poeta testatur, aliis accurate perspiciendum erit, quisnam re vera eorum eam attingerit: quod quidem sine contentionibus fieri ullo pacto nequit. Sunt enim quæ nec oculis cernuntur, nec manibus tractari possunt, et ab ipsa forsan humana cognitione seposita. Cunctarum originem ignem esse, aut aquam Thales, ac Heraclitus dixere (*n*). Quintum elementum principalibus applicavit caussis Aristoteles Peripateticorum Antistes (*o*). Ignem mundo minari, et cum venerit tempus arsurum Panætius dixit, ac Crysippus (*p*). Pythagoras, & Archiras, causam in numeris posuere (*q*). Plato animam dividit, & incorporales constituit formas (*r*). Arcesilas tandem, ac Carneades nihil ab homine comprehendi, atque omnia cæcis obscuritatibus involuta dixerunt (*s*). Num vidit Heraclitus res ignium conversionibus fieri? concretione aquarum Thales? incorporales formas Plato? Py-

(n) *Apud Plutarchum Plac. Phil. lib.* 1.

(o) *Apud Theodoret. contra Græc. Orat.* 4. *de Mat.*, *& Mun. p.* 57.

(p) *Apud Cic. lib.* 2. *de Nat. Deor.*

(q) *Apud Plutar. de Plac. Phil. lib. I.*, *& Capell. de Nup. Phil. lib.* 2,

(r) *Apud Theodor. de Nat. hom. Ser.* 5.

(s) *Apud Cic. lib.* 4. *QQ. Acad. et August. lib.* 3. *contra Academ.*

Pythagoras numeros ire? aut illi, qui nihil sciri posse autumarunt, veritatis ne esse intellexere pronunciatum? omnes ea, quæ dixerunt, suis credita suspicionibus dixerunt: hisce ne igitur cæcam nos fidem præbere debemus? hisce ne, quæ ab unius nimirum judicio pendent, auscultari, credere, ac cenquiescere? Ad trutinam prius omnes, tanquam ad lydium lapidem, quo aes ab auro cognoscitur, revocare debemus, illasque non nisi cognita proprio lumine ipsarum evidentia debemus admittere. Et hæc sunt *canona* illa, quæ ipsamet nobis tradidit Philosophia, quibus luculentissime loqui, & compositionibus fluere clarissimis, quibus concludere acutissime syllogismos, ordinare sequaciter inductiones nostras, ac definitiones ipsas constituere accurate possimus: licet ut quis sit hujus ævi Philosophus Peripateticus credere tantum, & memoria mandare necesse sit; eadem enim mente philosophia ista discenda est, qua leguntur historiæ: quippe si eo licentiæ deveniat, ut ratione, menteque sua utatur, non est quod speret, se magnum evasurum esse Philosophum: δει γαρ πιστευειν τον μαρθανοντα. Sed nunquam nos animum tam duræ servituti subiiciemus, neque unquam iis, qui non alio, quam vanitatis quodam principio ducti, ea, quæ sciri hominibus nullo pacto possunt, prorsus didicisse arbitrati fuere, credemus; num enim eorum fides ultra rationes, experimentave ipsa, vel facta debet extendi? Non itaque diffidia, contentionesque, quas inter varias de-

pue

prehendimus Philosophorum sectas, nostram Philosophiam vanitatis accusant, immo, si rem propius inspicere velimus, maxime sunt illæ huic scientiæ, uti & omnibus, in quibus vult veritas investigari, necessariæ, ac ipsæ quoque publicæ societati (dicam hoc liberius) quammaxime utiles. Etenim cum veritas, circa quam versantur Philosophi, sit admodum brevis, ac uniformis; si homines puram, nudamque veritatem simpliciter ubique exprimere vellent, cito ad silentium, vel ad injucundas redigerentur repetitiones, sicque societas interiret. Omnes veritates ad quasdem, easque paucissimus generales classes possunt referri, quibus peractis eadem dicenda semper recurrerent, vel silendi necessitas incumberet. Hinc factum est, ut homines ad societatem nati, ideo (providentissimo, sapientissimoque Auctoris naturæ consilio) dissimili philosophandi ratione pollent, dissimiliter inter se res percipiunt, deque iis judicant, ac cogitant; ut, cum inde quisque opiniones suas pro viribus defendere niteretur; modum vicissim haberent, quo eorum mentes indefinenter singuli possent exercere. Verum hoc adeo nonnulli abutuntur, ut de plerisque eorum libris, & colloquiis, si quis, semotis præjudiciis, judicare velit; comperiet haud dubie in iis sub continua verborum contentione, veritatis, ac realitatis oppido parum subesse. Proh et ad id vel qui Philosophi audire gestiunt, attenderent! hoc enim pacto studia ita instituerent sua, ut veritate a veritatis speciebus secreta,

ta,

ta, ab ingentium illorum voluminum lectione abstinerent, quae, si sola veritas ex iis exprimeretur, ad paucissimas redigerentur paginas, et futiles illas syllogisticas disputationes procul arcerent, in quibus dies toti consumuntur ad rem evolvendam, quæ unico momento simpliciori methodo confici posset. Abstinerent . . . . . sed quo rapior? ad rem potius descendamus, atque e diverticulo in viam, a qua aliquantulum abherravimus, revertamur. Ac si itaque Philosophorum, ut diximus, contentiones Philosophiam haud vanitatis accusant; quin imo si hæc ipsamet inter illos nasci, ac fieri diffidia, ut verum, quod tam in arduo est, demum ipsi assequantur, libenter patiatur; multo quidem justius nobis, studiis illarum omnium submotis, licitum heic erit Veterum eorum sententias, quæ supra fuerunt expositae, quantum in nobis erit, sola duce ratione refutare, ut inde magnum illud theorema, *quod philosophiam sibi* ***FELICITATEM*** *proponat*, superius jam a nobis statutum, adversus nostræ scientiæ vituperatores nunc invicte demonstremus.

VIII. Et ab iis ordiamur, *qui subobscuras veritates primi introspexisse* gloriantur; Stoicorum opinionem, quæ *in sola virtute* felicitatem constituit, plane nos reijcimus, quoniam illa hujus effectrix potius est, cum ad eam perveniri sine virtute non possit, quod quidem intellectu est facillimum. Quæro enim, utrum ne ad illam *virtutem*, in qua, ex eorum sententia, sita est vera

*vera felicitas* facile perveniri putant, an cum labore, & difficultate? expediant acumen suum, erroremque defendant. Si primum, haud est felicitas, quid enim conficiamus enitendo diebus, ac noctibus? & ad quid nos cruciamus, cum id, quod petimus in promptu jaceat? Quod si

*Ardua prima via sit, & qua vix mane recentes*
*Enitantur equi, media est altissima cælo,*
*Unde mare, e terras* nobis *sæpe videre*
*Fit timor, & pavida trepidat formidine pectus*
. . . . . . . . . . . . . . . .
*Tunc etiam quæ* nos *subjectis excipit undis,*
*Ne* feramur *in præceps Thetis solet ipsa vereri.*

Quod si, inquam, illi, qui virtutem assequi velit non planum sit iter, sursum oportet, ac deorsum eat, fluctuetur & navigium in turbido regat, contra fortunam illi tenendus sit cursus; altera igitur virtute opus est, ut ad illam perveniat, in qua est *felicitas*, quod incongruens est, & absurdum, ut virtus per seipsam perveniat ad seipsam. Si non potest ad felicitatem, nisi per laborem perveniri, apparet virtutem esse, per quam perveniatur, quoniam in suscipiendis, perferendisque laboribus vis, officiumque virtutis est Quibus ex omnibus, cum in eo esse *felicitas* nequeat, per quod necesse est ad aliud perveniri, illam in *virtute* constitui non posse meridiana ipsa luce clarius evincitur. Stoici itaque, cum ignorarent, quid efficeret virtus, honestius autem nil

reperirent, in ipſo virtutis nomine ſubſtiterunt; quam nullo propoſito emolumento appetendam eſſe dixerunt.

IX. Hac igitur profligata opinione; quid de cæteris dicemus? Aſſentiemus ne Ariſtippo, qui illam *in dulcedine corporis titillante*, *ex eave nata lætitia*, ut Tullii voce utar, collocavit? At hæc ſive ſecuritas, ſive gaudium ſit non homini tantum peculiaris, ſed ipſis quoque inſipientibus brutis communis eſt, ac propria. haud itaque hominis felicitatem conſtituere valet, cum hujusmodi hæc eſſe debet, ut cæteris animalibus communis eſſe non poſſit. Sed ut feris dentes, volucribus pennæ, armentis cornua adſcribuntur, ſic & homini quicquam proprium eſſe debet, quo ſublato, rationem ſuæ conditionis amittat. Verum hac de re Ariſtippo ne reſpondendum quidem duco, quid enim boni, quid honeſti hic ſcriptis unquam tradere potuit, ſi non modo cum Laide nobili ſcorto (9) conſuetudinem habere ſatis ipſi fuit, ſed docere

---

(9) Meretrix hæc celebratiſſimæ fuit famæ apud Corinthios, ad quam ex omni Græcia ditiores amatores concurrebant, unde, & quia immane pretium poſcebat pro concubitu, ortum ajunt Græcum illud adagium *ου παντος ανδρος ες Κορινθον εσθ ο πλους*, *non cuivis contingit adire Corinthum*, vel potius, non cuivis viro datur ſperare copiam Laidis, & ea gratia contendere Corinthum. Vide Gellium *Noct. Attic. l.* 8. Venuſta adeo fuit, & pulcra, ut eam adirent Pictores, quando pulcritudinem perfectam pingere volebant, & maxime ejus ubera, & pectus exprimerent, teſte Athenæo *Lib. XIII pag.* 588 Varia etiam, & magnifica Græci epigrammata in ejus formam compoſuerunt, ut videre eſt in *Anthologia Lib. III.* Loquuntur autem Scriptores tanquam de una Laide, niſi quod Athenæus *Lib. XIII pag.* 574 memorat *την Λαιδα την νεωτεραν*, cujus mater fuerit amica Alcibiadis. Hæc *Lais junior* fuit celebris illa Corinthia, quam etiam Plutarchus in *Alcib. extr.* dicit filiam fuiſſe iſtius amicæ Alcibiadis. Sed tamen omnes hanc dicunt fuiſſe Corinthiam quidem appel.

cere etiam libidines cæpit, atque mores suos de lupanari impie ad ſcholam tranſtulit, ſicque vixit, ut nullum diſcrimen amplius eum inter, ac pecudem intercederet, niſi unum, quod loquebatur? Quem argute deridens Cl. Lactantius, ſic appoſite inquit (*t*)

D 2 *Quod*

(t) *Lactantius Div. Inſt. lib.* 3, *ſeu de fal. Sap.*

---

appellatione, & habitatione, ſed ortam Hyecaris oppido Siciliæ, nnde ſeptennis delata ſit Corinthium, capta a Niciæ Athenienſis Militibus bello Siculo, Olympiade 91. Sic Pauſan. *Corinth. cap.* 2 Athenæus d. l. Schol. Ariſtoph. ad *Plutum pag.* 19. At minime convenit, ut quæ amata, & deſiderata dicitur a Demoſthene, eumque per immane illud pretium repuliſſe, nata fuerit Olympiade 89. Sic enim habuiſſet jam annos 37 antequam naſceretur Demoſthenes, uti oſtendit Palmerius *Exerci. ad Auctor, Græcos pag.* 368 qui duas fuiſſe *Corinthias Laidas* probare iſtic nititur. Et ſane ſi jam tempore Euripidis extitit *Lais* quædam *Corinthia* celebris meretrix, ut ex Machone liquet apud Athenæum XIII 5 & ſi jam Ariſtophanes in *Pluto*, *Laidem Corinthiam* nominavit, ut habuerunt codices jam tempore Athenæi, qui tamen dubitat *Lib. XIII pag.* 592, an *Nais* ſit iſtic potius legendum; tum vero prorſus aſſentiar viris Doctiſſimis, qui duas ſtatuunt. Tanto magis, quoniam junior illa dicitur ab Athenæo *pag.* 588 etiam Phrynes, quæ poſt Alexandri mortem floruit, fuiſſe æmula. Adde juniorem hanc in flore ætatis extinctam in Theſſalia a mulieribus *ex invidia, & æmulatione, propter pulcritudinem ejus*, ut loquitur Plutarchus E' ρωτικῷ *pag.* 768. Vide & Schol. Ariſtoph. *pag.* 20. Ex quo liquet, non fuiſſe igitur unam modo, quæ eadem floruerit jam tempore Euripidis, & Ariſthophanis, & tamen pervenerit ad ætatem Demoſthenis, ac tunc demum & ex æmulatione quidem, ab aliis mulieribus fuerit occiſa. Crediderim ergo fuiſſe & antiquiorem *Laidem*, cujus meminit Ariſtophanes inter Corinthias meretrices, & hanc juniorem, ſed quæ fuerit nata ſerius, & ſerius Corinthum venerit ex Sicilia, quam traditur a Pauſania & in Schol. Ariſtoph. utpote floruit tempore Ariſtippi, Diogenis Cynici, Demoſthenis, & Apellis pictoris. *Hæc Jacob. Perizonius ad Ælian. V. H. lib.* 10. *c.* 2. Lais vero hæc (ut refert Ariſtophanes Byzantinus celebris Grammaticus Olympiadis 145. ſub Ptolomæis, præceptor Ariſtarchi critici, teſte Suida in A'ρίσταρχος) etiam A'ξίνη dicta fuit. A'ξίνη erat, & refertur a Poliæno l. 28. 2. inter inſtrumenta apta ad ligna ex ſylvis ſecunda in rogum. Sed & Matthæus *Evang.* 3. 10. ſtatuit pro ferro ad integram arborem excidendam idoneo; unde Euſtath. ad Hom. *Iliad* Ω *p. m.* 1511 ab ἄγιν, quod notat κλᾶν, *frangere*, derivat. Cur ergo Lais A'ξίνη fuit appellata? Parum certe in ratione hujus appellationis invenienda eſt laborandum, quia enim Amatores ſuos, ut ſupra quoque notavit Perizonius, fortunis evertebat, & ſubvertebat, recte dicta fuit. A'ξίνη, nempe *ſecuris*.

*Quod si asino, aut cani, aut sui facultas loquendi tribuatur, quærasque ab his, quid sibi velint, cum feminas tam rabide consectentur, ut vix divelli queant, cibos etiam potumque negligant, cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem absistant; sed a fortioribus sæpe contriti eo magis insectantur: cur nec imbres, nec frigora pertimescant, laborem suscipiant, periculum non recusant, quid aliud respondebunt, nisi veram felicitatem esse in corporis voluptate? eam se appetere, ut afficiantur suavissimis sensibus; eosque esse tanti, ut assequendorum causa, nec laborem sibi ullum, nec vulnera, nec mortem ipsam recusandam putent.* Ab Aristippo ne igitur veram felicitatem assequendi præcepta petemus, ab Aristippo, dico, quem in corporis semper voluptates ruentem, nihilque aliud, quam ventri, ac Veneri servientem omnibus constat hominem fuisse? Is enim cum vitam beatam *in voluptate* posuerit, eaque sordida luxu, & intemperantia se beatum judicavit, vitam vixit non hominis, sed pecudis, quasi anima tantum vegetativa, ac sensitiva præditus, rationis expers. Quamobrem Xenophon infesto in istum animo contra voluptatem librum composuit, ut tradidit nobis Laertius in *Aristippo*.

Verum Philosophi hujus sententia quantanam detestabilis esset, quantave animi ρατυμια scateret, ipsemet vidit lutulentus Calliphon, qui non ausus illam defendere, plane rejecit, aliamque prorsus novam excogitare quolibet inde nisu elaboravit. Sed quid

quid unquam boni ab homine Cyrenaico (10) nos expectemus? Quid ab illo in *Hedonica* secta, ac in Aristippi quoque scholis exculto, ejusdemque doctrinis, sententiis, atque præceptis imbuto? Ruit in pejus, dum rem componere conatur. Non enim ab illa sensuum voluptate, qua omnia metiebatur, discessit, sed *in ea cum honestate conjuncta* felicitatem collocavit. Et quid porro hoc magis repugnans? quid hoc unquam absurdius? Quis enim non videt is, qui honestati studet, voluptate, quique contra voluptati deditus est, honestate careat, oportet? I ergo impudens Calliphon, i, & ηλιϛ δυναντος αφιχηται ξενος, ut tu ipsemet quondam inquiebas, congredere cum scortis tuis, istamque tuam eximiam honestatem defende.

X. Quæ cum ita se habeant, ubi itaque felicitas erit? Audiamus tandem Jassium illum Diodorum, qui omnes alios insipientes, insanos esse dicit. Heu igitur surge, o Crone (11) dicque nobis tuam de hac felicitate sententiam. Illam, inquis, *in doloris privatione* repono. Quid

(10) Cyrenaicus non quia Cyrene natus, sed quia Cyrenaicum Aristippum fuerit secutus. Erant vero Cyrenenses quam maxime dediti, & conviviis, & voluptatibus. Unde Athenæus XII. I. sic incipit Ανθρωπος ειναι μοι κυρηναικος δοκεις *Videris mihi Cyrenæus esse*, ratione hac addita, quia istic, *si quis unum invitet, adveniant duodeviginti alii, decem currus, duodecim bigæ*, adeo ut *melius istic sit neminem invitare*. Non mirum itaque doctrinam de *voluptate* tantos fecisse in ea gente progressus, ut inde a primis ejus Doctoribus *Cyrenaica* fuerit dicta.

(11) Cognomen hoc fuit Diodori a Ptholomæo Sótere per jurgium ipsi impositum, cum sermones quosdam dialecticos a Stilpone inter epulas propositos extemplo nequivisset exolvere:

Quid ? Nonne Cyrenaico illo Ariſtippo ; quem tam contemnis , ac vituperas , modo adhæres ? Hic enim fuit , qui primus non dubitavit ſummum malum dolorem dicere (*u*) , ad quam enervatam , muliebremque ſententiam ſatis docilem te præbes , qui veram felicitatem dolore vacare dicis . Nam quæ ſunt luxuriosis efficientia vuluptatum , ut hic inquiebat , liberat eos Deorum , et mortis , et doloris metu , atque ita cum undique compleantur voluptatibus, haud ulla ex parte aliquid aut dolens , aut ægrum , id eſt malum, habent. Omnes ergo circa eamdem voluptatem verſamini , omnes pariter erratis , omnesque ſimul quam molles fuerint, quamque bene veſtros animos nobilis ille Cleanthes depinxerit , declaratis . At vero hanc tuam sententiam , o Diodore , præter quod una cum illa Cyrenaicorum in idem scopulum appingat, eudemque in errorem delabatur; maximam quoque in absurditatem deferri conſpicio; quomodo enim unquam in ea voluptate felicitatem aſſequi potes, ſi ex tuamet ſententia, *dolore carere* illam conſtituat? Dic sodes Diodore , nonne ut illi , qui recta , & honeſta per ſe ſtatuunt expetenda , quoslibet labores patiuntur decoris , honeſtatisque cauſſa , ſic tibi , ut magnas adipiſcaris voluptates , magna quoque ſunt adeunda pericula ? non certe neges . Sed quæ vero voluptas tanti erit , quam adipiſci cum dolore

(u) *Apud. Cicer. Tuſcul. QQ. lib.* 2.

lore corporis velit, qui dolorem summum malum sibi esse persuaserit? Quam porro quis ignominiam, quam turpitudinem non pertulerit, ut effugiet dolorem, si summum malum sibi hunc esse decreverit? Quis autem non infelix, cum summum in eo sit malum, & tunc, cum sciet etiam id posse sibi evenire? Et quis est, cui non possit? Ita sit, ut omnino nemo possit esse beatus. Nec demum, si dolor malum sit, ut præfatam hanc felicitatem assequamur, satis est eo malo carere. Nos enim eam non depulsione mali, sed adeptione boni judicemus, nec ea felicitas dicitur, quæ nec hominis virtute, nec doctrina, nec labore cunctis vicissim contingit animantibus, nempe, præter quod omne animal doloris est fugiens, quis potest sibi hanc felicitatem præstare, quam nobis, ut eveniat nihil aliud possumus, quam optare? Nequit itaque felicitas *in doloris privatione*, ut Diodoro tandem placet, ullo modo constitui.

XI. Atque ita profligatis omnibus, quas supra exposuimus Philosophorum de felicitate sententiis, ubi nos demum illam collocemus? forsan in Atheniensium arce, in qua quotidie currebat Pisystratus non aliter, ac si illam ibi cum antiqua Minervæ olea defossam putaret? forsan cum Polycrate in Jonico mare, in quo plures triremes habebat? forsan cum Philippo in Amintæ, ac Perdiccæ bonis, unde non dubitavit armorum ictibus, ac sagittis vitam ipsam exponere cum Tribal-

ballis pugnando, Illyrios invadendo, Bizantium obsedendo, Olynthum evertendo, Athenienses fefellendo? forsan cum Alexandro in Sardibus inter auri ramenta, aut in Charia inter Mausoli thesauros, aut in Babyloniorum muris, aut in Phænicum portubus, aut in Ægypthiorum littoribus, aut in Ammoniorum arenis? Sed ad quid amplius heic in hisce nugis recensendis immoror? Ignoscendum potius illis est, inducebantur miseri specie terrenarum divitiarum, quæ ad eorum mentes nullo modo pertinebant, nec perspiciebant quidem altius vim, rationemque hominis, quæ non in corpore, sed in Mente est. Nihil enim videbant amplius, quam corpus, quod; quia oculis, manuque tractabile est, imbecillum, fragile, mortale est, cujus sunt omnes illæ, quas appetebant, cupiditates, & ideo tam caducæ sunt, quam corpus ipsum. Animum vero, in quo solo est homo, quoniam subjectus oculis non est; haud videbant, nec ideo ejus bona ab ipsis adspici poterant, quæ tam stabilia, constantia, ac perpetua sint necesse est, sicut animus ipsemet. Hinc illud, quod, qui perspectam habet animi sui naturam divinam, & immortalem, non potest non præsentia, ac circumjacentia bona contemnere, tanquam infantium crepudia vana, & fugacia; spectare vero sempiterna, & secundum ea vitam longe nobilissimam instituere. Quanti illud est Africani! (x) *Sic habeto non esse te mortalem, sed*

(x) *Apud Cic. in somn. Scipion.*

*ſed corpus hoc ; nec enim tu is es, quem forma iſta declarat, ſed Mens cujusque, is eſt quisque, non ea figura, quæ digito monſtrari poteſt. Deum igitur ſcito eſſe: ſiquidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpoſitus eſt, quam hunc mundum ille princeps Deus.* Mentis itaque noſtræ natura cognoſcenda eſt (12), ut quæ ſint ejus quoque bona cognoſcamus. Quapropter ſi attente illa perſpiciatur, patebit certe felici-

E ta-

(12) Mentis *naturæ* nomine non intelligimus primam illam ejus facultatem, ſeu *adtributum*, in quo ſita ſit illius eſſentia, & a quo cætera omnia oriri intelligatur; (illud enim prorſus nos latere ſat ab omnibus, præſertim qui Acutiſſ. D. Joannis Lockii partes ſequuntur, demonſtratum eſt) ſed ipſius potius claram, atque diſtinctam ideam. Qua de re licet & inter recentiores Philoſophos gravis admodum exarſerit controverſia; hi tamen palmam tulere, qui Mentis noſtræ claram, diſtinctamque ideam, licet imperfectam, haberi nobis poſſe contenderunt. Et re vera præter quod ex plurimarum Mentis proprietatum cognitione id poſſet evinci; ex ipſamet Mentis, & corporis diſtinctione, quam adverſarii nobiſcum agnoſcunt, facile eruitur. Cum enim Mens noſtra e corpore, cui conjuncta eſt, aliiſque eam ambientibus ſit diſtincta; quonam jure, illam a qualibet materia *eſſentialiter* diſcrepare pronunciamus, niſi ſecum invicem collatis Mentis, & corporis ideis, clare alteram cum altera conſociari non poſſe, percipiatur? quo principio niſus, ſic ratiocinatur D. Du Marſais ſcriptor Gallus. „ Un ètre eſt diſtingué d'un autre ètre, quand l'idée „ que j'ai de l'un eſt differente de celle que j'ai de l'autre, & ſur-tout „ lorsque l'une eſt incompatiple avec l'autre . . . . Or l'idée que nous „ avons de l'etendue renferme l'idée de pluſieurs parties, de longueur, „ de largeur, & de profondeur, & elle exclut l'idée de penſée & de „ ſentiment. Donc ce qui eſt etendu, eſt diſtingué de ce qui penſe: de „ meme l'idée que nous avons de la penſée, ne renferme point l'idée „ de l'etendue et meme l'exclut; ainſi l'ame étant en nous l'ètre qui „ penſe n'eſt pas l'ètre qui eſt étendu, & le corps étant en nous l'ètre „ étendu, n'eſt pas l'ètre qui penſe, parce que l'idée de l'un n'eſt pas „ l'idée de l'autre. (*Logique de du Marſais art. 1 de la diſtinction de l'ame, et du corps*). Nonne itaque ex hac demonſtratione manifeſtum eſt nobis ineſſe Mentis, quemadmodum & corporis ideam? Quod ſi ea nos penitus lateat, cur in illius notione explicanda tantam Philoſophi curam impendant? ad quid vel maxime reconditos pectoris humani ſinus tam diligenter inveſtigant? cur tandem de cogitationibus ad veritatem dirigendis tam multa præcipiant?

tatem, de qua tam acriter inter Philoſophos diſputatum fuit, in illa, quæ intime ei cohæret, qua tantum illa gaudet, quam oblectatur, qua fruitur, ſine qua eſſe, & conſtare non poteſt, *rerum* nimirum, ac *veritatis cognitione*, ſeu *ſapientia* poſitam eſſe (13). Quod quidem, quam verum ſit, ſequens indicabit ex tot aliis deprompta demonſtratio.

XII. Et re quidem vera cum felicitatis hujus ita ſit determinata natura, primum, ut ſolius ſit hominis, nec cadat in ullum aliud animal, deinde ut immutabilis prorſus ſit, ac eadem ſemper: quid magis unquam hominibus proprium, quam veritatis cognitio? nam cætera, quæ putantur eſſe ſoli homini propria in cæteris animantibus reperiuntur. *Oſſibus enim illis*, appoſite ad rem noſtram Arnobius (z) *fundata ſunt corpora & nervorum colligatione devincta, & nobis comparili ratione ex oſſibus fundata ſunt corpora, & nervorum colligatione devincta. Auras accipiunt naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt, & nos ſpiritum conſimiliter ducimus, & reſpiramus commeatibus crebris. Femininis generibus, maſculinisque diſtincta ſunt, in totidem et nos ſexus noſtro ſumus ab auctore formati. Edunt per uteros fœtus, & corporalibus conciliis procreant, et nos corporum conjugationibus na-*

(z) *Arnob. Disput. adver. Gent. lib.* 2. *p.* 54.

(13) Me mei prorſus oblitum fuiſſe credet nunc aliquis, cum antea in *philoſophia*, nunc in *ſapientia* felicitatem conſtituerim. Sed quomodo hoc bene concilietur, indicabit pagina 41, & ſeq.

*nascimur, et ex alvis fundimur, atque emittimur matrum. Cibo sustentantur, & potu, & superfluas fœditates inferioribus egerunt, abiiciuntque posticis; & nos cibo sustentamur, & potu, & quod natura jam respuit per eosdem effundimus tramites. Cura illis est omnibus famem prohibere mortiferam, et necessario invigilare pro victu: quid aliud nos tantis egimus in occupationibus vitæ, nisi ut ea quæramus, quibus famis periculum devitetur, & infelix sollecitudo ponatur? morbos illa, et inedias sentiunt, & ad ultimum senectute solvuntur: quid enim? nos immunes ab his sumus, & non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, & senectutis destruimur tabe?* Quid si etiam suas voces propriis inter se characteribus, notisque discernant? tum colloqui videntur, ridendique ratio in his apparet aliqua, cum demulsis auribus, contractoque rictu, oculisque in lasciviam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque conjugibus, ac fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo, & indulgentiæ simile impartiunt? Quid est itaque, quod nos ab eorum indicit similitudine discrepare? quid constituit eminentiam illam, quæ tanta in nobis est, ut animantium numero dedignemur adscribi? demonstravit satis id Romanæ eloquentiæ princeps, Platonis ille imitator egregius qui hominem inter ac belluam hoc maxime intercedere dixit (a) quod hæc *tantum, quantum sensu, move-*



(a) *Cic. de Offic. lib.* 1.

*vetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est se accomodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homini autem, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit, caussas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentis adjungit, atque adnectit futuras; propria est veritatis investigatio, atque cognitio.* Apparet igitur primum veritatis cognitionem hominibus tantummodo propriam esse, nullumque in aliud animal cadere.

Quod autem immutabilis ferme sit felicitas illa, quæ ex veri cognitione percipitur; vel hoc argumento sit, quod *veritas* ipsamet illam constituens, sine illa proprietate, *immutabilitatis* scilicet, prorsus esse, ac constare non possit: qua de re doctissime disseruere Philosophi, nullamque inter Methaphysicos contentionem esse conspicio. Quæ cum ita se habeant, quis unquam erit, nisi impudentissimus quidem, qui veram illam felicitatem in veri cognitione positam esse neget? hæc est nimirum illa, in qua, ut recte majores nostri, viri nempe illi opinabantur, vitam suam ducebant, qui omni cura liberati nullum necessarium vitæ cultum, aut paratum requirentes, in Beatorum insulis immortale ævum degebant. Enim vero *si nobis*, ut nunquam satis dictus Tullius inquit *cum ex hac vita migraverimus in Elysiis, ut Poetæ ferunt, sempiternam vitam degere liceret, quid opus esset eloquentia cum judicia nulla fierent? aut*

*aut ipsis etiam virtutibus ? nec enim fortitudinis indigeremus nullo proposito, aut labore, aut periculo; nec justitia, cum esset nihil, quod appeteretur alieni: nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent, libidines: ne prudentia quidem egeremus nullo delectu proposito bonorum, aut malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ, & sapietia, quæ sola Deorum etiam est vita laudanda* (14)

XIII. Quod cum magno & excellenti ingenio viri apprime perspexerint, quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus et publicis, et privatis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium totis viribus se se contulerunt, multo preclarius esse rati divinarum, humanarumque rerum inquirere, ac scire rationem, quam struendis opibus, cumulandisque honoribus inhæ-

(14) Extat hoc Tullil fragmentum apud D. Augustinum *de Trinitate lib. IV. c.* 2. & illius est libri, quem Hortensium Cicero inscripsit: nimirum quod in ea disputatione primas partes vituperandæ Philosophiæ, & laudandæ eloquentiæ Q. Hortentio viro Consulari, atque Oratori summo concesserat. Hoc autem ipse demonstrat *Lib.II. de Divinatione* c. 1, *& in I. de Fin.* cap 1. Interfuisse porro huic Sermoni præter ipsum M. Ciceronem, Q. Catulum, L. Lucullum, & alios quidem contra Sigonii sententiam pro certo adfirmo, quod ex iis, quæ supersunt, fragmentis facile quisque, si ea attente persequitur, colligere potest. Catulum autem, Lucullum & Ciceronem cum Hortentio contedisse opinor. De illo enim certum est ex eo, quod scriptum est apud Lactantium lib VI. c. 2. *Apud Ciceronem*, inquit, *Catulus in Hortentio philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio.* De illo vero indicio est totus ferme QQ. Academ. liber secundus, in quo Tullius L. Luculli amorem erga Philosophiam vel clarissime ostendit. De hoc tandem, præter tot luculentissima sui ipsius testimonia, testis quoque erit ipsemet D. Augustinus, qui in tantam hujus libri admirationem adductus est, ut ejus potissimum lectione, uti Tullius videbatur ad ethnicæ, ita se ad veræ philosophiæ, idest Christianæ, defensionem incensum esse sæpe profiteatur.

hærere. Quibus quidem rebus, cum fragiles, terrenæque ſint, nemo felix, nemo perfectior fieri poteſt. Erant & illi veritatis cognitione digniſſimi, quam ſcire tantopere cupiverunt, ut rebus omnibus eam anteponere non dubitarunt; nam & inclytis honoribus, & affluentibus opibus, ipſorumque Principum favori, quoſdam renunciaſſe conſtet; ut ſolam nudamque veritatem nudi, expeditique aſſequerentur: uno verbo, tantum apud ipſos præfatæ hujus veritatis inquirendæ ſtudium invaluit; ut cum potuiſſent voluptates omnes amplecti, iisque totis immiſceri præcordiis; nihil tamen iſtis turpius, aut abjectius exiſtimantes, qui torporem, ac deſidiam amplexi, vitam luxu, ac inertia tranſigunt, nihil agentes, quo ſe homines eſſe teſtentur, quibus, ut Phæacibus illis Homericis *(b)*.

*Αμει δ' ημιν δαις τε φιλη κιθαρις τε, χοροι τε;*
*Ειματα τεξημοιβα, λοετρα τε θερμα, και ευναι* (15).

*Semper jucunda eſt cæna, & cithara, & ſaltationes, & veſtium mutatio, & calida balnea, & cubilia*, horum, inquam, vitam contemnentes, alii ex propria Regione, jam relicta patria, ad aliam cultiorem migraverunt; ut ſub ſapientum diſciplina veritatis cognitionem facile aſſequi potuerint;

(b) *Homerus in Odiſſ.* Θ *v.* 248.

(15) Hos verſus ex Homero ſæpe memorat Athæneus. *Phæacum* enim τριφη, & *απολαυστικος Βιος* h. e. *voluptaria vita* in adagium abiit apud Græcos, & Latinos. Rex eorum erat Alcinous, qui, ut ſolebant Phæaces, Uliſſem liberaliter excepit. Habitabant in inſula, quæ poſtea dicta eſt *Corcyra* hoc nomine ſatis nota. V. Euſth. ad Hom. Odiſ. E. p. 204.

rint; alii vero ita ſe totos, penituſque veritatis inquiſitioni tradiderunt, ut valetudinem, vitamque ipſam eos contempſiſſe videmus. Quem enim ardorem inquirendæ veritatis cenſemus fuiſſe in Pythagora, qui ex Samo ad Ægyptum uſque migravit, & Perſarum Magos adiit, qui tantas regiones Barbarorum pedibus obiit, totque maria tranſmiſit? Quem in Democrito, qui, ut inquit Valerius Maximus (c) *cum divitiis cenſeri poſſet, quæ tantae fuerunt, ut Pater ejus Xerſis exercitui epulum dare facile potuerit, quo magis vacuo animo diſciplinarum ſtudiis eſſet operatus, parva admodum ſumma retenta, patrimonium ſuum patriæ donavit?* vel qui, ut ſcripſit Laertius (*d*) ſuam portionem inter fratres diviſit, ſibique aliquantulum pecuniæ in viaticum peregrinationis reſervavit? quem in illo Crate Thebano, qui divitias onus bonæ Mentis exiſtimans, ut ſe ſe liberius ad philoſophandum contuliſſet, patrimonium in nummos redactum effudit in mare? (16) Quem in Platone,

(c) *Valer. Maxim. lib.* 8.
(d) *Laer. in vit. Democ. lib.* 9.

(16) Hujus ſubmerſionis meminit D. Hieronymus ad Paulin. *de Inſtit. Monac.*, & *lib.* 2. *adver. Jovinian.* refert ejus apophtegma: *Abite*, nempe, *peſſum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar a vobis*. Meminit & Lactan. *lib.* 3. *Divin. Inſt. Quid ille*, inquit, *qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare?* Meminit quoque Apollodorus, ut Philoſtratus refert, & Pluto in eximio illo libro *de vitan. uſur.* Verum nec Laertius, nec Plutarchus hujus ſubmerſionis mentionem faciunt, ſiquidem ille, qui *lib.*6. ejus vitam ſcripſit, refert, ipſum, patrimonio vendito, talenta, quæ plus, quam ducenta coll gerat inter cives partitum fuiſſe, ſeque ad philoſophandum contuliſſe. Optio itaque hæc tua eſt, lector, utram harum vis, opinionem accipe.

ne, quem in Æſchine, qui, nos ſic docente Tullio *(e)* ex Athenis ad Ægyptios demigrarunt, ut numeros, ac cæleſtia acciperent, poſtea Tharentum ad Architam, ac ad cæteros poſtremo Pythagoreos ipſa veritatis cognitione ac ſcientia capti? quem in Ariſtoxane, quem in Dicearcho, a quibus tam anxie quidem legimns ultimas terras fuiſſe peragratas? quid porro de Euclide, quid de Ariſtophane dicam, quos propter veri diſcendi cupiditatem in ſolitudinem ſe ſe refertos, & famem, & ſitim pertuliſſe conſtet? quid tandem de Archimede, qui clamores quoque fugiens, & in ſolitudinem redactus, adeo veritatis inquiſitione tenebatur, ut libris impalluiſſe teſtetur hiſtoria? et o res omnium quidem ſæculorum admiratione digniſſimas! Homerus etiam mihi hujuſmodi quiddam vidiſſe videtur in iis, quæ de Syrenum cantibus finxit. Non enim vocum ſuavitate videntur, aut novitate quadam, & varietate cantandi revocare eos ſolitæ, qui prætervehebantur; ſed quia multa ſe ſcire profitebantur; ut homines ad eorum ſcopulos diſcendi cupiditate adhæreſcerent. Ita enim Uliſſem invitant *(f)*.

Δευρ' αγ' ιων πολυαιν Οδυσευ, μεγα κυδος Α'χαιων
Νηα κατασστησον, ινα νωιτερην οπ' ακουσης.
Ου γαρ πω τις τεδε παρηλασε νηι μελαινη,
Πριν γ' ημεων μελιγηρυν απο στοματων οπ' ακουσαι.

A'

*(e)* *Cicero lib. 6. de Fin.*
*(f)* *Homer. Odiſſ. M. v. 184.*

Α'λλ' ογε τερψαμενος νειται, και πλειονα ειδως
Ι'δμεν γαρ τοι πανθ' οσ' ενι Τροιη ευρειν
Α'ργειοι. Τρωες τε θεον ιθετι μογησαν,
Ι'δμεν δ' οσσα γενηται επι χθονι πουλυβοτειρη. &c.

Quæ ſic latine vertit Henricus Loderlinus.

*Huc age veniens, celeberrime Ulyſſes, ingens decus Achivorum, Navem ſiſte, ut noſtram vocem audias. Non enim unquam aliquis hac præteregit navem nigram, quin prius noſtram ſuavem ab ore vocem audiret, ſed hic delectatus abit, & plura ſciens. Scimus enim tibi omnia quæcumque in Troja lata Argivi, Trojanique Deorum voluntate pertuleruut, ſcimus etiam quæcumque ſiunt in terra alma.* Vidit næ Homerus probari fabulam non poſſe, ſi cantiunculis tantus vir irretitus teneretur; ſcientiam pollicentur, quam non erat mirum ſummo viro patria multo eſſe chariorem.

XIV. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura inquirere? Si itaque felicitatem in ſapientia conſtitui ſupra nos abunde docuerimus, quis, niſi ſuæ conſcientiæ ſenſus manifeſte prodere velit, quis unquam, dicam, illam in *Philoſophia* ſitam eſſe neget, cum hæc cum ſapientia unum, idemque ſit, ab eaque vocabulo tantum diſcrepet? Qua potiſſimum de re prætermittenda non ſunt tria illa L. Firmiani Lactantii argumenta, quibus ipſe philoſophiam ſapientiam dici non poſſe contendit, ac ſuper quibus totius tertii ſuarum Inſtitutionum Divinarum libri edificium conſtru-

xisse arbitratur. Verum mihi vires omnes deficiunt, animusque repente refugit, dum adversus illa meam orationem instituere adgredior, non quia gravi hoc esse oneris credam; (facile quippe cuique est falsas propositiones quovis lectoribus adparatu expositas refutare) sed potius, quia inhumanum prorsus, ac turpe mihi videtur in illum arma sumere, qui fortiter pro me, ut supra jam vidimus, non semel dimicavit. Verum *pectorem* heic *cautibus ipsis Caucasi duriorem* induam oportet, cum mei propositi ratio, ut illud exequar postulet; a qua, ut illi gratum faciam, non certe recedam; immo me ad arma capessenda fortiter inpellenti faciles aures præbeam, facilisque & eo quoque fine obtemperam, ut inter cætera constaret etiam ipsos SS. Patres (quos inter illum enumerare non dubito) fuisse homines erroribus obnoxios, ideoque non deberi eos nobis obtrudi tanquam infallibiles, uti quidam vellent, illos ita a nobis recipi. Ad nauseam enim usque urget eorum argumentum, *hic*, *vel ille Pater sic sentit*, *ideoque illi non est contradicendum*, *verum ipsi cæco impetu est subscribendum*: quibus legibus ne ipsi quidem Patres se subjcere voluerunt, nec talem unquam auctoritatem sibi adrogarunt, optima est D. Augustini hac de re sententia. *Ego*, inquit, (*g*) *hujus epistolæ*

(g) *August. lib. 2. contra Grescon. Gran. cap.* 32.

*stolæ auctoritate non teneor, quia litteras Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero, & quod in iis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Ac per hoc, si ea, quæ commemorasti ab illo ad Jovinianum scripta de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum canonico recitares, quod omnino contra dicerem, non haberem: nunc vero quoniam canonicum non est, quod recitas, ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri, cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis mea scripta non comparo, cuius ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc, quod aliter sapit, non accipio*. Eodem fere modo D. Hieronymus: *Scio*, inquit (h), *me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines aberrare*. Potuisti ergo & errare, Lactanti, ut cæteros quoque homines in errorem quotidie delabi videmus. Tua interim argumenta, quibus philosophiam sapientiam non esse, nec dici unquam posse acriter contendis, expendamus modo, ut quod dixi quisque meridiana ipsa luce clarius accipiat.

XV. *Philosophia ut nomen indicat est studium sapientiæ, unde igitur*, inquis (i), *probemus ma-*



(h) *Hieronymus in epist.* 52.

(i) *Lactantius lib.* 3. *Divin. Institut. n.* 2.

*magis philoſophiam non eſſe ſapientiam, quam ex ipſius nominis ſignificatione? qui enim ſapientiæ ſtudet utique non dum ſapit, ſed ut ſapere poſſit, ſtudet. In cæteris artibus ſtudium quid efficiat, & quo tendat, apparet, quas cum diſcendo aliquis eſſecutus eſt, jam non ſtudioſus artificii, ſed artifex nominatur. At enim verecundiæ cauſa ſtudioſos ſe ſapientiæ, non ſapientes vocaverunt. Immo vero Pythagoras, qui hoc primus nomen invenit, cum paulo plus ſaperet, quam illi priores, qui ſe ſapientes putaverunt, intellexit nullo humano ſtudio poſſe ad ſapientiam perveniri, & ideo non oportere incomprehenſæ, atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi. Itaque cum ab eo quæreretur, quemnam ſe profiteretur, reſpondit Philoſophum, id eſt quæſitorem ſapientiæ. Si ergo Philoſophiam ſapientiam quærit, nec ipſa ſapientia eſt, quia neceſſe eſt aliud eſſe, quod quærit aliud certe quod quæritur. Preterea illud quoque,* pergis (*k*), *argumentum contra philoſophiam plurimum valet, quo ipſe eſt uſus Cl. Hortenſius, ex eo nempe poſſe intelligi philoſophiam non eſſe ſapientiam, quod principium, & origo ejus appareat. Quando, inquit, Philoſophi eſſe cæperunt? Thales, ut opinor, primus, recens hæc quidem ætas, ubi ergo apud antiquiores latuit amor iſte inveſtigandæ veritatis? Idem Lucretius ait* (*l*).

„De-

(k) *Lactan. de fal. ſap. n.* 16.

(l) *Lucret. rer. nat. lib.* 5.

„ Denique natura hæc rerum ratioque reperta est
„ Nuper : & hæc primum, cum primus ipse tepertus,
„ Nunc ego sum in patrias , qui possum vertere
voces .

*Et Seneca non dum sunt , inquit* (17) , *mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt . Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit , quod irridens Persius ; postquam , inquit* (m) *sapere urbi cum pipare , & palmis venit : tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit inventa , quæ si secundum hominis naturam est cum homine ipso cæperit necesse est , si vero non est , nec capere quidem illam posset humana natura . Sed quia recepit , igitur a principio fuisse sapientiam necesse est . Ergo philosophia , quia non a principio fuit non est eadem vera sapientia , sed videlicet Græci , qui sacras veritatis literas non attigerant , quemadmodum deprovata esset sapientia nesciveruut . Et ideo cum vacare sapientia humanam vitam putarent , philosophiam commenti sunt , id est latentem , atque ignotam sibi veritatem differendo eruere voluerunt , quod studium per ignorantiam veri , sapientiam putaverunt .* Collectis vero tandem omnibus ingenii tui viribus , quædam Tullii præstantissimi Philoso-

(m) *Persius satyr.* 5.

(17) Locus hic Senecæ apud me saltem non extat.

losophi verba, perperam interpretatus, sic in nostram propositionem contorquere conaris Lactanti: *summus*, inquis (*n*), *ille vester Platonis imitator existimavit, philosophiam non esse vulgarem, quod eam nonnisi docti homines assequi possunt*. „Est, *inquit* (*o*), philosophia paucis contenta judicibus multitudinem consulto ipsa fugiens. *Non est ergo sapientia, si ab hominum cœtu abhorreat, quoniam si sapientiam homini data est, sine ullo discrimine omnibus data est, ut nemo sit prorsus, qui eam capere non possit. At illi virtutem humano generi datam sic amplexantur, ut soli omnium publico bono frui velle videantur. Tam invidi, quam si velint deligare oculos, aut effodere cæteris, ne solem videant*. Quod si igitur, colligis, & nomen, & philosophiæ origo, & tandem Philosophi ipsi sapientiam illam haud esse declarant, quid itaque temeritatis est & philosophiam sapientiam appellare, & *veram* in illa *felicitatem* constituere?

XVI. Verum hac in re, ut & in quampluris aliis, uti postea videbimus (pace tua sit dictum) dormitas, mi Lactanti. Non enim, ut primæ objectioni satisfaciamus, non enim, inquam, inficiamur philosophiam studium esse sapientiæ; at si ad illam potius, quæ summa est, ac perfectissima, haud vero cum ad eam, quam in brevi vitæ no-

(n) *Lactan. de fal. n.* 25.
(o) *Tullius QQ. Tuscul. lib.* 1.

nostræ curriculo assequi possumus, de qua quidem heic loquimur, referatur. Num ergo dum dixit Pythagoras, se philosophum esse, se in cæca, absolutaque rerum omnium ignorantia volvi, versarique fuit confessus? Immo tam sapiens, ac doctus erat, ut ex ejus fontibus totam pene doctrinam suam Græcia irrigavit, potissimum in iis, quæ ad mathesim, & metaphysicam pertinent. Quod si *Philosophi* nomine amans tantum ille sapientiæ intelligatur; & quis erit, cui hoc tam insigne nomen, non jure competeret? Ineptis itaque, Lactanti, dum philosophiam sapientiam non esse demonstrare opinaris, non enim ea solum, quæ doctis explorata sunt nescire videris, sed probare etiam, & asserere illa, quæ, si philosophia sapientia non esset, quod ipse contendis, falsa tamen, & absurda esse omnes, qui sunt animi compotes prorsus intelligerent. Age & nunc alteram tuam objectionem expendamus, ut an ita sit, sicut dico, facilius accipias.

XVII. Thaletem in illa Philosophorum primum fuisse Hortensii auctoritate pronuncias, ut inde sic cognita philosophiæ origine, sapientiam illam non esse colligeretur. Sed quid Lactanti? nonne & longe ante Thaletem heroicis primis illis temporibus philosophia vigebat? quis ejus originem, initiumque præscribere, ac statuere sibi confidat, cum a primis Mundi incunabulis excultam illam fuisse omnibus ferme constet? & revera dic, dic quæso, ubinam terrarum philoso-

phia

phia non extiterit ac floruerit ante Thaletem? nam antequam Græci alicujus nominis esse cæperant, barbaros sibi jam pridem laudem sapientiæ incredibilem pepcrisse legimus. Cui licet quodammodo adversetur Laertius (*p*), argumentis tamen subleſtis, ac pene puerilibus, ut facile adpareat, eum patriæ amore nimio insanivisse. Omnium enim prima, & sapientissima simul fuit Gens Hebræa, inque ea Adamus, Noacus, Moses, Davides, Salamon, aliique, quibus eximia in omni genere doctrina, & eruditio a Cl. viris Kirchesо, & Joanne de Pineda tribuitur. Quid vero si ad Ægyptios accedamus? quis nescit illos præclaros illius ævi Philosophos fuisse, ac Geometriæ præsertim, aliisque matheseos tum puræ, tum adplicatæ partibus operam dedisse, id, quod tot ebhesci, pyramides, aliæque moles stupendæ satis evincunt? quid porro dicam de Chaldeis celeberrima nimirum olim Asiæ Philosophorum secta? *Antiquissimum Doctorum genus* illos vocat Cicero (*q*), *omnium disciplinarum peritissimum* interqretatur Hesychius (*r*), *Sapientissimum*, *ingeniorumque solertia excellens* declarat Diodorus (*s*), vetusque tandem illud oraculum Eusebio (*t*) memoratum, & Porphirio Chaldeorum æque atque Hebræorum sa-

(p) *Laertius lib.* 1. *cap.* 1.
(q) *Cicero de Divinat. lib.* 1.
(r) *Hesychius lex. Græc. in voc.* Καλδαῖος.
(s) *Diodorus lib.* 1. *quæst.* 24.
(t) *Euseb. Præparat. Evan. lib.* 9. *cap.* 10

ſapientiam conjungit, atque commendat:

Μȣνοι Χαλδαιοι σοφιαν λοχον ηδ' αρ' Εβραιοι.
*Chaldæis ſolis ſapientia ceſſit, Hebræiſque.*

Quam re vera illos Theologia, ſcientia aſtrologica, divinatione, ac magia apud Gentes celebres fuiſſe accepimus! (18) Quis nunc itaque anti-

G

(18) Chaldæorum philoſophiam quanti fecerit vetuſtas, ex omnibus prorſus Orientalium rerum ſcriptoribus vel facile colligere poſſumus. Chaldæi vero diſciplinas non tradebant, aut propagabant more Græcorum, apud quos, qui ſapientiam publice profitebantur, ea quoslibet auditores promiſcue imbuebant; ſed intra certas familias ſe continebant, quæ id nominis peculiari jure obtinebant. Porro Chaldæorum ſapientia ſtatutis quibusdam dogmatibus concludebatur, quorum brevem heic expoſitionem adponere maximi quidem viſum fuit; cum nemo huc uſque, præter Cl. Pſellum, fuerit, qui illorum tam immenſam congeriem, hinc inde belle compilatam, velut in nucleum compactam, aliquo forſan rei literariæ detrimento, in lucem ediderit; ſaltem neminem hæc legiſſe pænitebit.

Chaldæi itaque primum ſtatuunt ſeptem mundos corporeos, igneum unum, poſt hunc tres æthereos: deinde tres materiales: e quibus ultimus terreſtris dicitur, & lucis oſor, qui locus eſt ſubter lunam in ſe ſe etiam materiam complectens, quem fundum nominant. Unicum arbitrantur eſſe rerum omnium principium, idque profitentur unum eſſe, & bonum. Deinde colunt paternum quoddam fundum ex tribus trinitatibus compoſitum. Quælibet autem trinitas habet patrem, potentiam, & mentem. Poſtea ſequitur iunx mente comprehenſibilis. Huic proximi ſunt mundorum rectores, igneus, ætherius, & materialis. Poſt rectores ceremoniarum principes. His ſuccedunt perennium fontium patres, qui & mundi rectores nominantur, quorum primus ſemel ſupra dictus eſt: poſt quem Hecate, deinde is, quem bis ſupra nominavimus: ab hoc fuut tres implacabiles, & omnium ultimus ſuccinctor. Venerantur etiam fontanam fidei, veritatis, & amoris. Ponunt item ſolem imperatorem, & a fonte materiali archangelicum, ſenſionis fontem fontanum judicium, fulminem fontem, ſpeculorum fontem, characterum fontem incognitis ſignis, & ſymbolis incumbentem, & ſummitates fontanas Apollinis, Oſiridis, Mercurii. Materiales vero fontes dicunt eſſe centrorum, elementorum, & ſomniorum zonam. Item animam fontanam. Fontibus ſubjungunt principia: quod principiis ſuperiores, & excellentiores ſint fontes. Principiorum autem animalia procreantium ſummitas vocatur Hecate: medietas, anima inchoativa: extremitas, virtus inchoativa. Sunt apud illos quoque Hecatæ αζωνοι, quæ zonas non habent, ut Chaldaica τριεκδοτις, κομμας, & εκκλυστικη. Dii autem αζωνοι illis dicuntur Sarapis, & Dionyſus, ſi-

ve

tiquissimos Chaldæos cum Populos, tum Philosophos fuisse neget? quod & narrationi quidem Mosaicæ valde est consentaneum: quandoquidem, ut divini Judæorum libri docent, primi post diluvium mor-

---

ve Baccus. Osiridis item *ειρα quasi adgeniorum series catena more contexta*) & Apollinis appellatur ἄζωνοι dii quod expedita potestate sua in zonis utuntur, & sopra Deos conspicuos collocati sunt. Ζωναῖοι contra qui zonas habent libere circa cœli zonas volvuntur, & gubernandi munus obeunt, habent enim Chaldei deorum genus *Zonæum*, quod sensibilis Mundi partes inhabitat, & regiones circa materialem forte distributas cingit. Post zonas est circulus non errans, seu fixus septem orbes complectens, in quibus stellæ sunt. Porro alius illis est mundus solaris ætherio fundo subserviens: alius Zonæus, unus e septem. Animarum humanarum duplicem ponunt causam e fonte perenni promanantem, paternam nempe mentem, & animam fontanam. Prodit autem, ut illi volunt particularis anima a fontana, juxta patris voluntatem, & habet essentiam per se generatam, & animatam. Aliunde enim non movetur. Nam si, ut in eorum fertur oraculis, ignis divini pars est & ignis lucidus, atque paternæ mentis conceptus, profecto forma est materiæ expers, & per se subsistens. Illa enim omnia cum divina natura communicant, cujus particula est anima. Aiunt omnia in qualibet anima esse, sed & cuilibet inexplicabilem. & incognitam fandorum, & infandorum symbolorum proprietatem. Volunt animam in mundum demitti ob multas causas, aut propter penarum defluvium, aut propter paternam voluntatem. Arbitrantur mundum æternum esse, ut & stellarum conversiones. Plutonem, sive infernum in varias partes dividunt, & eumque modo Deum appellant ordinis illius, qui circa terram sortem suam obtinuit, ducem; modo regionem sublunarem: modo medias inter ætherium, & materialem mundum partes obeuntem; modo animam rationis expertem: In ea rationalem animam constituunt, non essentialiter, sed proportione quadam, quando convenienter ad illam effecta est, particulari ratione projecta. Ideas definiunt modo esse patris intelligentias: modo universales rationes, *naturales* scilicet, *animales*, & *intellectiles*: modo substantias a rebus ipsis abstractas. Collocant animas post mortem juxta modulum, & mensuram lustrationum singulis familiarium, & convenientium in omnibus mundi partibus: quasdam etiam ultra mundum evehunt; easque discrimine facto in naturas dividuas & individuas separant. Plato quidem, & Aristotiles plures ex enumeratis opiniones recœperunt: Plotinus vero, Jamblicus, Porphyrius, Proclus, eorumque discipuli omnes in universum approbarunt, & non secus ac divinas voces absque ullo discrimine, & eximine admiserunt.

Hactenus igitur de omnibus prorsus Chaldæorum philosophiæ dogmatibus; restat modo, ut de *Magia*, tanto apud illos in precio habita, ac veneratione, pauca heic dicamus. Inter Chaldaicæ itaque doctrinæ partes, & *Magia* sita fuit, quæ, licet nomine Persico donata, originis erat Chaldaicæ, excolebaturque ab iis, qui *Aschaphim* vocantur. De hisce intelligen-

dus

mortales ea incoluerunt loca, in quibus postea Chaldæi floruisse dicuntur, circa Armeniam nempe, Asyriam, Mediam, Parthiam, aliasque regiones, quod magna vetustatis eruditione demonstravit Bo-

G 2

dus Laertius ubi dicit γεγενησθαι παραμεν Περσαις Μαγυς, παρα δε Βαβυλωνιοις η Ασσυριοις χαλδαιυς: *fuisse apud Persas quidem, Magos, apud Babylonios vero, & Assyrios, Chaldæos*. Hinc fit, ut Magorum nomine intelligantur etiam Chaldæi. Porro quid quid Chaldaicæ Magices ad nos pervenit, ad duo tantum genera Thomas Stanlejus *Philos. Chald. Section.* 2. *naturale nempe, & theurgicum* refert. *Prima*, inquit, *Chaldaicæ doctrinæ pars ea censetur, quæ naturalis Magice vulgo dicitur, quod contempletur virtutes omnium rerum cælestium, & sublunarium, serveturque earum συμπαθειας, & mutua earumdem applicatione inusitatos effectus edat. Hoc genere Magiæ Chaldæi profitebantur mirabilia a se fieri in rerum natura cum in singulis hominibus, tum in integris provinciis*. Inter alia, ut Rabbinus Maimanides docet, existimabant a se Leones, serpentes, & similia noxia animalia e Civitatibus ejici, omnia vitiorum genera a plantis arceri, grandinem cohiberi, vermes e vineis, ne eas corrumpant, interimi, ne folia ex arboribus decidant, effici, & alia, quæ ille in libro *Abodath Hannabatim*, nempe *de cultura Nabateorum* singillatim enumerat: *Altera Chaldaicæ Magices pars*, pergit idem Stanlejus, *fuit θευργικη. ad quam forte peculialiter alludit Plato in Alcibiade I. quando dicit, Magiam Zoroastris fuisse cultum Deorum. Hanc quoque vocabant disciplinam rituum, opera pietatis, & ut loquuntur Græci, doctrinæ ejus interpretes τελεστικην επιστημην*. Qua in re vero sita esset, colligere est ex Suida *de duobus Julianis: Julianus*, inquit, *Chaldæus Philosophus, pater Juliani cognomento Theurgi scripsit de Demonibus libros quatuor. Est quoque apud eumdem Phylacterium, ad unumquodque membrum qualia ducuntur ex Telesiurgicis, hoc est, ritibus arcanis Chaldaorum. Julianus, ante dicti filius, sub M. Antonino Imp. scripsit & ipse versibus theurgica, telestica, & oracula, & alia quæcumque sunt hujus artis arcana*. Igitur telesticæ disciplinæ opera putabant, adhibitis certis ritibus, Dæmonas in hominum colloquium venire. Τελεστικη επιστημη εστιν η οιον τελειυσα την ψυχην, δια της των ενθαδ' υλικων δυναμεως, &c. *Telestica disciplina*, inquit Psellus *in Orac. Chal. p.* 94., *est, quæ perficit mentem, quantum potest per potentiam materialium, quæ hic sunt. Nequit enim ratio per se ipsam ad sublimiorem contemplationem se se efferre, & ad intellectionem Numinis. At sermo pietatis* ( h. e. religio christiana ) *eam manu ducit ad Deum ope revelationum illinc emissarum, Chaldæus vero per scientiam telesticam &c. Plato quidem ratione, & intellectu ingenitam essentiam intelligi posse statuit. At Chaldæus dicit nos non aliter ad Deum efferri posse, nisi animæ vehiculum materialibus ritibus firmemus*. Prodest etiam τελεστικη corpori non minus, ac menti. Si enim Mentem illustratam ad superiora quisque extulerit, & divini ignis opus ad pietatis opera evexerit, non solum animam effectibus insuperabilem reddet, sed etiam

Bochartus. Quid tandem de Phænicibus dicam, quid de Persis, Indis, Sinensibus, Thracibus, aliisque, quos & mundi originibus suppares, & summos Philosophos fuisse, nonnisi historiæ, temporumque doctrinæ prorsus ignarus quisque, neget? Gens enim primum Phænicia ad imam oram maris mediterranei sita, adeo litterarum fama percrebuit, ut apud plurimos vulgatum fuerit litteras a Phœnicibus inventas, ut Herodotus (*u*), Eusebius (*x*), Clem. Alexandrinus (*z*), Plinius (*a*), Josephus (*b*), aliique tradidere (19). Indos etiam, Celto-Scytas, hisque conterminos Medos, atque Persas Græci, Latinique scriptores, antiquissimas fuisse Gentes, litteris, armis, ac vitæ commodis jamdiu florentissimas do-

(u) *Herodotus lib.5.*
(x) *Euseb. Præparat. Evan. lib. X.*
(z) *Clemens Alexandrin. Stromat. lib. I.*
(a) *Plinius lib. 5. cap. 12. in fine.*
(b) *Joseph. Lib. I. contra Appion.*

etiam corpus suum salubrius efficiet. *Est quippe is sæpe divinarum illustrationum effectus, ut consumatur materia corporis, naturaque sana fiat, neque amplius effectibus, neque morbis corripiatur.* Et hæc jam satis de Philosophia Caldæorum. Quæ omnia sat utiliter heic me adposuisse opinor; ideoque tibi, Erudite Lector, placuisse prorsus confido, quod quum sim consecutus, abunde satisfactum mihi esse profiteor.

(19) Conferantur hic quæ in nostris *Exercitationibus Academico-Criticis ad Sibyllam* §. XIV. p. 41. fusius tradidimus. Numeros etiam Phœnices invenisse dicuntur, tum & astronomiæ, seu sideralis scientiæ, & nauticæ, auctores fuisse tradit Herodotus. Omnimodæ tandem philosophiæ peritos illos facit Strabo *Geograph.* 4. Sed ut veterum aliorum Philosophorum, qui Græcos præcesserunt, ita & Phœnicum scripta tempus edax consumsit, tenebrisque suis invidiosa vetustas involvit, adeo ut præter fragmenta quædam Sanchoniatonis Berytii, qui ante Ilium captum vixisse dicitur, quæ tamen viri docti plurimi in dubium revocarunt; nihil ad nos clari, distinctique pervenerit.

docent. Qua de re Justinus Trogi (c), Paullus Pezronius, Skucfordius in historia sacra, & profana eruditissime disseruere. Hic a Noe ipso illos genitos valde putat probabile. Historia enim Mosaica docet in Armeniæ montibus primum Noemi posteros consedisse: ergo eæ omnium primæ regiones cultæ, quæ ab Armenia orientem spectabant solem, utpote & mediterraneæ, & planiores & perennibus aquis irriguæ. Fuere & his quidem nationibus, uti apud cæteras alias antiquas gentes, sui sapientes, qui & φιλοσοφοι erant, atque φιλοθεοι, ut Suidæ vocibus utar. Thraces quoque demum sibi magnam eruditionis, reique philosophicæ partem vindicant (20), in quorum quidem libris, Plutarcho(d) te-

(c) *Justin. Histor. lib. 3. c. 1.*
(d) *Plutarch. Plac. Philos. lib. 1. c. 13.*

(20) Celebrem hac de re Androtii cujusdam vetustissimi Attici scriptoris locum invenimus, in quo ex Veteribus Thracibus neminem, ait illes, litteras novisse, immo omnes & rerum, & Scientiarum nomina quoque ignorasse fatetur. Verum, ut illum cum iis, quæ supra nos de Thracibus diximus, conciliemus, dicendum est de iis eum potissimum litteris agere, ac de illis disciplinis, quas Eruditi, & Philosophi ex aliorum scriptis maxime hauriunt, non de illa sapientia, quæ viribus ingenii, & judicii, atque usu rerum, & prudentia comparatur. Videor autem mihi Intelligere, quid voluerit, aut scripserit Androtion homo Atticus. Nempe tradebant plerique Eleusynia, vel eorum mysteria ab Eumolpo Thrace potissimum profecta: at alii referebant ea ad Eumolpum non Thracem illum, sed ad ejus Trinepotem Musæi Poetæ filium hominem Atticum. In hac sententia erat & Hister, & Androtion, ut liquet ex *Sch. Soph. in Oed. Col. V.* 1046. Eam itaque exponens Androtion refutavit simul sententiam eorum, qui ex Thracia repetebant disciplinas sacras, & profanas, & adfirmavit contra antiquissimis illis temporibus Thraces nullis fuisse literis usos, ne dum excultos. Quumque alii ab Orpheo profectas dicerent τας τελετας, imo illum in Ægyptum omnem pene suam psycologiam, & theologiam didicisse, quod confirmare nititur Burnetius *Arch. Lib. I. c.* 9. (ut nempe statuat Ægyptiorum Mercurii, Phoenicum Sanchioniathonis, Orphe Thra-

teſte, ac Euſebio (*c*) quammulta de ſyderibus præſertim ſyſtemata a plerisque poſterioris ævi philoſophis iectitata olim, ac promulgata fuere & in quibus ſuam illam de Mundo nobiliſſimam do-

(c) *Euſeb. Præparat. Evan. lib.* 15. *c.* 30.

---

Thracum coſmogoniam unam, eamdunque eſſe) unde etiam cauſſa ſit, quare Lucianus *in Fugitivis* fingat Philoſophiam prius veniſſe in Thraciam ad Eumolpum, & Orphea, ac dein præmiſiſſe illos in Græciam, quorum veſtigia demum ipſa eo ſit ſecuta; Androtion e contra non tantum illa Eumolpi Thracis dixit eſſe falſa, ſed et quæ de Orpheo traduntur. Cujus rei non paucos nactus fuit patronos, qui ut Ægyptios Sacerdotes ſub Hermetis nomine, ita Thraces ſub Orphei ſua vulgaſſe credebant. Et primum Suidas vix ullum certum eſſe Orphei librum ſcripſit, idem et Clem. Alexandrinus *Strom. lib.I.* Ariſtoteles *apud Tullium lib.I. de nat. Deor.* ullum fuiſſe Orpheum negat, eſſeque id nomen fabuloſum cenſet, cui & Dionyſius a Suida laudatus, & ex recentioribus Gerardus Voſſius *de Art. Poet. cap.* 13. adſtipulantur. At contrarium prorſus demonſtravit Chriſtianus Eſchembachius in *Epigene de Poeſi Orphica* Voſſioq. præſertim iraſcitur laudatus Burnetius; hic quippe tale in Orpheo coſmologiæ ſuæ præſidium reperiſſe ſibi viſus eſt, ut audacter ſcripſerit in *Archæologiis Lib. I. c. 9. Hunc ſi ab umbris revocare liceret, ut ille olim ſuam Euridicem, ad probandam doctrinam noſtram circa rerum origines unus valeret multos teſtes.* Verum utcumque ſit, certum eſt litteras primis temporibus magis floruiſſe in Aſia, quod Androtion ipſe ait, quam in Europa, unde inter ipſos Græcos primi Sapientes, ut & ſcriptores cujusque artis, & ſcientiæ fuerint Aſiatici, veluti Homerus, Thales, Scylax, Herodotus, Hyppocrates, aliique. Sed tamen ſi id ille egit, ut Græcos ſuos, & Athenienſes in hoc litterarum genere iſtis tam antiquis temporibus diſtingueret a Thracibus, tanquam ſolis, vel magis tunc barbaris, haud dubie erravit, cum utique Athenienſes a Thracibus, & eorum inſula Samo prima ſua ſacra acceperint, cum etiam Græci antiquiſſimam Muſarum ſedem in illis Thraciæ locis, uti habitavit Orpheus collocarint, unde etiam *Pierides* illæ, & *Libethrides* fuerunt ab illius patria dictæ. Porro & Pauſanias in *Bæot.* diſerte ait Thraces Macedonibus fuiſſe *præſtantiores*, cum aliis in rebus, tum in religionibus Deorum. Extendebatur autem tunc Thracia ad Theſſaliam uſque, ſeu juxta mare Ægæum uſque ad fluvium Peneum, ut diſerte *Lib.* I. Strabo teſtatur. Sed & intra ipſam habitaverunt olim Græciam proprie dictam Thraces, teſte Pauſania *in Atticis cap.* 41, qui de Thracibus agens inquit: *Olim enim ejus regionis, quæ nunc Græcia dicitur, plerique inhabitaverunt Barbari.* Atque ideo toties in antiquis fabulis legimus, Athenienſibus negocium fuiſſe cum Thracibus. Unde & Eumolpus auxilium Eleuſynienſibus tuliſſe perhibetur, & Boreas Thrax Erechthei filiam rapuiſſe, & tandem Tereus, qui ſibi Prognen Pantionis natam duxit, Thrax etiam fuit, licet in Phocide habitaverit, ut tot ſupra nobis laudatus Pauſanias inquit.

doctrinam construxit Anaxagoras, cujus interdum in his commentariis quasi per nebulam meminit Democritus, quam omnes prorsus denique Græci Philosophi toties nunc occulte, nunc manifeste, & sublato quasi signo alludunt; ut clare hinc discere possimus, philosophiam non esse recentem, paucisque ante temporibus institutam, sed cum mundo quidem ipso natam, quo profecto nihil est validius ad immensam Dei sapientiam, potentiam, bonitatem intelligendam. Innumera quoque alia heic, si brevitas, quam supra mihi proposui, sineret, depromere possem, ut primos Telluris incolas, contra tuam sententiam, Lactanti, philosophos fuisse demonstrarem; sed sufficiat hoc, quod ipsemet Thales totam suam sapientiam ab iis hauxisse asserere non dubitaverit. Ætatis enim suæ primam hic, eamque maximam partem peregre egit. In Cretam abiit mysteriorum, religionisque illius insulæ discendorum cupidus, Jovis enim illa natalibus celebrabatur, hujusque rei ipsum in quadam ad Pherecydem epistola authorem habemus (*f*). Iisdem litteris in Asiam quoque se se abiisse testatur. Phoeniciam eum petiisse nonnulli credunt, quod ejus in rebus astrologicis eruditio eis persuasit, quam a Phænicibus creditur accepisse, maximis hujus artis magistris: inprimis autem id, quod Ursæ minoris sydus primus dicitur observasse, quæ Phæni-

(f) *Apud Diogen. Laertium lib. I.*

nicibus navigantibus loco ducis efse folebat. Sane vocem *Cynofuræ* Phoeniciam efse non Græcam neque a κυνος ὑρα derivandam; fed potius ab Hebrea voce, quæ *lucis* notat *collectionem* Doctifs. Gerardus Voffius (*g*) adfirmare non dubitavit. Omnium poftremo jam fenex in Ægyptum quoque eo animo profectus fuit, prout ad Phericydem ipse fatetur (*h*) ut cum Sacerdotibus, Aftronomifque ibi verfari fibi liceret. Ibique a Memphiticis Sacerdotibus Jovis maxime, quod teftatur Jamblicus (*i*) inftitutus fuit. Ab iisque Geometriam eum didicifse tradit Laertius (*k*) totam vero philofophiam, folidiori fundamento fretus, Plutarchus (*l*) adfirmat. Nec vero Hortenfius ille tuus, o Lactanti, in antiquitatum ftudio, ac in hiftoriæ cognitione, tefte Tullio, tam longe verfatus nefciebat, omnes prorfus difciplinas, artefque, quæ tunc temporis Græciæ floruebant, a primis, ac antiquiffimis orientalium regionum populis ortum duxifse. Non ideo dum ille Thaletem Philofophorum primum fuifse dicit, ipfi philofophiæ inventionem adfcribit; dicendum potius ideo *Philofophorum primum* eum appellafse, propterea quod primus revera fuit, qui totam phi-

(g) *Voffius de Scient. Mathem. lib.* 32.
(h) *Apud Plutarch. Plac. Phil. lib.* 1. *c.* 3.
(i) *Jamblic. in vita Pythag. l.* 2.
(k) *Laert. lib.* 1. *feg.* 24.
(l) *Plutarch. Symp. VII. Sap.*

philosophiam in *ordinem excellentiorem* digessit, qui quidem plurimis aliis, & suis, & aliorum inventis adornavit, & auxit, quique primus philosophicarum rerum in Græcia, & in illis, quæ rudes tunc, ac incultæ prorsus erant nationibus sapientissimam scholam aperuit. Lucretius quoque idem in suis illis versibus, quibus non omnem philosophiam, sed tantum illius partem, quam græco vocabulo *physicam* Latini appellant, quamque tum ipse pertractandam, illustrandamque susceperat, complexus fuit, intelligit. Eodem plane modo, paulo tamen audacior, ut solet, concivis noster Horatius de Pythagora dixit

*Naturæ non sordidus Auctor*.

Et Seneca dum mille annos pronunciat, ex quo initia sapientiæ nota sunt; magis nostræ, quam tuæ caussæ, o Lactanti, favere videtur. Non enim illud Thaleti Milesio referri posse arbitror, qui vix DCCC annis Senecæ tempora antecessit, natus enim hic ea Mundi ætate legitur, qua nempe Ancus Martius regno fuit inauguratus, ad Homerum forte, Hesiodumque respicere potest, quos CLX fere annis ante Urbem conditam floruisse in nostris *exercitationibus ad Sibyllam* abunde declaravimus. Nec vero, quod probe notandum, ante illam annorum miryadem philosophiam nunquam in Mundo extitisse intelligit Seneca, sed tantum illam ob temporum illorum bar-

bariem, quæ toto tunc in orbe tam immane crassabatur, quodammodo latuisse arbitratur, ut ipsemet in epistola LXXX. clarissime tradit. Fuerunt itaque, Lactanti, & alii quidem Philosophi ante illum Thaletem, quem universæ philosophiæ patrem appellas; & si alterius progrediaris, alios certe ante illos invenies, quos alii præcessere, sicque ad primos nostros usque parentes gradatim, ac successive progrediendo.

XVIII. Restat tandem, ut ultimam nunc tuam objectionem solvamus, quæ adeo anilis est, ac levis, ut indigna prorsus sit, ac pudenda opere tuo, o Lactanti. Utinam quod nesciebas præteriisses irreprehensum! nec lacessendi cupiditate inflammatus ignorantiam tuam evanido linguæ fuco, adeo detexisses! Quid enim stultius re vera, vel ineptius, quam ex hisce Tullii verbis: *Est philosophia paucis contenta judicibus*, illam ab hominum cœtu abhorrere, eamque nonnisi doctos homines assequi posse concludere? multitudinem philosophiam consulto fugere tradit Cicero, ut inde sciatur, quod, cum nova doctrina Philosophis velit persuaderi, id non secundo tantum populo fiat, sed rationes, probabiles saltem, reddendæ sint, quas illi intelligant, & probent. Ita næ, & non aliter, ut satis apparet, Tullii hæc verba sunt accipienda, o Lactanti. Ineptissima tua illa est, quam dedisti, interpretatio, levissima prosus tua conclusio. Sed contemnamus interea omnes hasce ineptias ( quid enim

enim levius huic levitati nomen imponam?) contemnamus, inquam, & sæculo potius ignoscamus, in quo quorumdam adversus Gentes scriptorum contra philosophiam, ac Philosophos quædam placita æquo justius provecta erant. Nam certe Lactantius,

*Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum:*
*Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra*,

recti fines trahi potest, iisque legendis, quæ in eum sunt congesta.

*Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.*

XIX. Sic itaque discussis omnibus L. Firmiani objetis, quis nunc adeo protervus, ac impudens erit, qui sub tot demonstrationum pondere denuo velit insurgere, ac perfido animo felicitatem *in philosophia* sitam haud esse ad libidinem contendere? quis adeo cæcus, qui in tam clara demonstrationis luce hoc non valeat distincte cognoscere? Et o excellens illorum conditio, qui ab eorum, ut ita inquam, infantia ad philosophiæ studium se se penitus contulere! quid enim hæc re vera nobis, o Dii boni, philosophia pollicetur? non opes, & copias, quæ & sæpe possessoribus ipsis exitio sunt, & tam multis casibus eripi possunt; non honores, & imperia, quæ, quod concupiverint, multi, quod aspernatus sit, nemo unquam vituperatus est; sed perfecturam se, qui legibus suis paruisset, ut es-

ſet contra fortunam ſemper armatus, ut omnia præſidia haberet in ſe feliciter vivendi, ut felix ſemper denique eſſet. Quæ cum ita ſe habeant, quid itaque miri, ſi Timotheus *(m)* Cononis genitus dux Athenienſium, qui licet in ſummo proſperitatis faſtigio apud ipſos verſeretur ita, ut neque ſatis ſcirent Athenienſes, quo eum honore potiſſimum dignarentur ob ſummam viri admirationem; cum tamen incidiſſet in Platonem Ariſtonis filium, qui extra mænia (21) cum quibuſdam diſcipulis ambulabat, cumque videret eum venerabilem adſpectu ob illam formæ amplitudinem, differentem vero non de pecuniarum collatione, neque de triremibus, neque de nauticis uſibus, neque de claſſiariis, neque de auxilio ferendo, neque de tributo ſociorum, neque de inſulariis, aut aliis quibusdam ejus generis nugis, ſed de illis, quæ loquebatur Plato, & de quibus ſerio agere ſolebat, quid itaque miri ſi adſtans ille Timotheus dixerit o *vitam*, *o veram felicitatem*? nonne enim perſpexit ſceptrum, quod ipſe regebat, magis oneris, quam felicitatis animo eſſe? Et o igitur quam optime illi fecerunt, qui omnes eorum curas, omniaque ſtudia Philoſo-

(m) *Apud Ælian. V. Hiſt. lib.II.*

(21) Nempe in Academia, quæ erat Athenarum gymanaſium extra Urbem, ubi etiam habitabat Plato, unde ſic Plutarchus *de fuga* ἡ δ' Ακαδημια, τριχιλιων δραχμων χωριδιων εωνημενον οικητηριον ην Πλατωνος και Ξενοκρατους και Πολημωνος: h. e. *Academia vero prædiolum tribus millibus dracmarum emptum, domicilium erat Platonis, & Xenocratis, & Polemonis*, qui ſucceſſere Platoni. Proprie autem habebat illic Plato hortulum ipſæ Academiæ junctum, vel in Academia. Legatur Diogenes Laertius *in Plat.* §. 20., & ibi Menangius,

ſophiæ dicarunt! hæc enim eſt, quæ felices, pacatoſque hominum animos facit, eamque in ſuis efficit animorum firmitatem, quam non voluptatum illecebræ, non affectuum impetus, non gloriæ, ac opum cupiditas, non ignominiæ metus, non mortis terror convellere, ac labefactare poſſit. Ut enim Olympi cacumen [22] Poetæ ſemper quietum eſse ajunt, propterea quod altius ſit, quam ut vis aquilonum, tempeſtatumque perveniat; ſic Philoſophorum animus excelſior, ac ſublimior eſt, quam iſtos flatus ſentiat furentium, ac de rebus abjectiſſimis humi digladiantium cupiditatum: ſtat ille, ut medio mari edita, & altiſſimis defixa radicibus rupes, cujus ſumma fluctus ne attingunt quidem, infima ſi verberant, non ut eam commoveant, ſed ut ipſi frangantur. Novit Philoſophus vulgarium voluptatum blanditias indignas prorſus eſſe, quas non modo conſectentur, ſed quas reſpiciant

(22) Olympus Theſſaliæ eſt mons altiſſimus, & pro ipſo cœlo ponitur, unde Dii *Olympii* dicebantur, quia erant Ολυμπια δωματ' εχοντες, ut paſſim Poetæ, h. e. in Olympo, ſeu cœlo habitantes. Sic autem appellabantur illi majorum Gentium, & cœleſtes Dii, eaque appellatione diſtinguebantur ab Heroibus, & inferis Diis. Porphirius *in Nympharum antro* Τοις μεν Ολυμπιοις Θεοις ναους τε και εδη, και βωμους ιδρυσαντο χθονιοις δε και Ηρωσι εσχαρας υποχθονιοις δε βοθρους, και μεγαρα: h. e. *Olympiis Diis templa, & ædiculas, & aras extruunt, Terreſtribus vero, & Heroibus Focos, Inferis autem ſcrobes, & cryptas*. Memorantur item ex Phrygia hoc *Olympii* nomine duo celeberrimi Tibicines, quorum alter amaſius, & diſcipulus fuit Marſiæ, dudum ante Trojana tempora, qui maxime celebratur. Hyginus *Fabul.* 273. interfuiſſe eum ludis ait, quos Acaſtus Peliæ filius fecerit Argis, & *viciſſe tibiis*, ſicuti *voce ad Olympi tibias* viciſſe iſtic dicitur Eumolpus ille Neptuni filius; alter junior, qui refertur ax Suida ad tempora Midæ. Utrique tribuuntur αυλωδικοι Νομοι. Priori etiam Μελη *carmina*. Conferatur hic de utroque Plutarchus de *Muſica init.*, & Suidas; tum Ariſtophanes *Equitib.* p. 283., & Lucianus *adverſus Indoc.* p. 540.

ciant viri: habet alias ſibi proprias, eaſque ſinceriſſimas, nullaque ne minima quidem moleſtiæ permixtione contaminatas, quas ex ipſa philoſophia carpit, quibus fruitur, quibus Mentem paſcit, quas ſolas charas, & jucundas habet.

XX. Immenſa etiam illa, & inexplicabilis accumulandarum opum aviditas radices agere in animo Philoſophiæ præceptis exculto, ac conſito nequit. Nam ea duce, ac præceptrice cognoſcit non aliud illas eſſe, præter crepudia vana, & fugacia, quæ cum nullo modo humanum deſiderium expleant, optantur enim vel ardentiori animo ab iis, qui eas jam poſſident, felices, pacatoſque hominum animos efficere nequeunt. Invidentia item, quam vix eſt effugere niſi ſolus, aut in ſola animantium ſocietate vivatur, locum in animo philoſophiæ luce conluſtrato habere nequit. Hæc enim illi demonſtrat, eam eſse, quæ ideas livido colore inficit, ac judicia pervertit, eam eſse, quæ efficit, ut nemo lætis oculis alium ſe fortunatiorem adſpiciat, ita ut ſi quis vel honores, vel opes, ac divitias acquirerit, ne alium ſibi præſtantiorem fuiſse credat, vel iniquis artibus adtribuat, vel fortunam ipſam accuſet, quæ veluti cæca ſua bona indignis largiatur, nec vero obtrectatione contentus eſt, niſi manibus, pedibuſque eum, cui invidet, perdiderit: quæ quidem omnia, cum ſint quolibet viro prorſus indigna, idque philoſophia quammaxime in ſuorum animos interſerat; nullo modo, ut dixi, locum

cum in pectore hujus inclytæ scientiæ præceptis imbuto potest invidentia abstinere. Perturbatrix tandem humanarum rerum, optimi cujusque ingenii corruptrix ambitio, quam semper vivere in eorum, quos semel occupavit, animis, neque unquam consenescere ait Thucidides, nunquam illius facibus accendere poterit pectus, quod infusa prius philosophiæ præcepta irrigaverint. Quin imo etiamsi antea subjecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum instillata philosophia restinguet. Quid ita? nempe quia hæc vel id præcipue in suorum animis inserit, verum decus, veramque gloriam haud in honoribus, sed in virtute positam esse, hanc solam laudandam, hanc solam optandam, hanc solam esse totis viribus expetendam; prorsus vero despiciendam levis, & imperitæ multitudinis temeritatem, quæ ad mandandos honores cæco sæpius, & inconsiderato impetu, quam certo, & explorato judicio fertur. Præclare, ac sapienter Cato malle se dicebat quærere hominem, cur sibi posita non esset statua, quam si quærerent, cur posita fuisset. Eodem animo sunt veri omnes Philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Eschilus, quam videri optimos malunt, honores autem, & magistratus, aut non petunt, aut alienæ, non suæ utilitatis causa petunt, neque si adepti sint exultant, neque si repulsam tulerint, anguntur animo, sed placide, & moderate ferunt, aut si quando dolent, reipublicæ dolent vicem, non suam. Quam igitur gravis, quam

ma-

magnifica, quamque constans conficitur persona philosophi! Quem cum ratio docuerit maximam voluptatem in contemnendis voluptatibus, maximas opes in quieto, pacatoque animo, maximam tandem gloriam in non ambienda gloria positam esse; felix semper sit necesse est, vereque ista nomina possideat, quæ irrideri ab imperitis solent; rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit, rectius magister populi, quam Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit, rectius dives, quam Crassus, qui nisi eguisset nunquam Euphratem nulla belli caussa transire voluisset, rectius imperator quam Caligola, qui suis cupiditatibus imperare non potuit, recte pulcher appellabitur, animi enim delineamenta sunt pulchriora, quam corporis, recte solus liber, nec dominationi cujusque parens, recte tandem invictus, cujus etsi corpus constringatur, animo tamen vingula injici nulla possunt. Quid itaque philosophia magis colendum? quid ista divinius? quid optabilius? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius?

XXI. Quod si illas homines artes colunt, quæ nihil aliud, nisi incertum lucrum, ac laboris, nec non periculi plenam utilitatem respiciunt; quo studio non digna erit philosophia, ex qua quidem maximum bonum, animi nempe felicitatem exhaurimus, quæ nec furto eripi, nec ingendio absumi, nec naufragio exhorberi potest? quaque ve-

ne-

neratione non erit hæc a nobis colenda ſcientia, quæ ita animos diſponit, ut qua fas eſt tot in terris numina reprehesentare poſſimus? quid enim nobis pro hac expeditione ab ipſa promittitur? ingentia, & æqua divinis, *ſanam*, nimirum, *mentem, & in perpetua poſſeſſione ſanitatis ſuæ, fortuita deſpicientem, virtute lætam*, unde nullo indigebimus, liberi erimus, tuti, indemni, nihilque fruſtra tentabimus, omnia nobis ex ſententia cedent, nihil adverſum accidet, nihil contra opinionem, & voluntatem. Et proh Dii immortales! quid eſt, ſi hoc non eſt feliciter vivere, & in terris vitam cæleſtium imitari? o itaque inclyta, atque inſignis philoſophia! quot re vera bonis affluis, quantiſque divitiis abundas! Recte quidem recte a terreſtris, ac caducis illis, quas indoctus ſequitur vulgus, abhorres, quas, inquam, ſi mortalium animis ad ſummam bonorum obtinendam impedimento prorſus eſſe videmus, pari item modo quo pacto corpori ſaltem proficiant neſcio. Nonne enim manifeſtum est, naturam nihil aliud ſibi poſcere, niſi ut, cum corpus ſit doloris expers, animus jucunditate fruatur ab omni metu, & ſollecitudine ſemotus? Jam vero pauca ſufficiunt, ut corpus ſine dolore ſit, immo nimia voluptate fruatur, & quibus nihil ſibi natura ipſa gratius poſtulat. Licet enim non ſint in ædibus aurea juvenum ſimulacra dexteris manibus igniferas lampades tenentia, lucemque nocturnis epulis ſuppeditantia, licet domus, nec auro, nec argento ſul-

geat, & laqueata, & deaurata tecta non resonent citharis; juxta tamen aquæ rivum in molli gramine jacentes sine magnis divitiis corpora sua homines liberaliter curant, præsertim cum tempestas faveat, & arrideat, annique tempora viridantes erbas purpureis conspergant floribus; nec ardens febris citius a corpore recedit, si in tapetibus volitemus, stratisque rubentibus ostro, quam si in vilibus strangulis decubamus. Non divitiarum itaque splendor est, qui a curis omnibus corpus nostrum vindicare, quique sollicitudines in illo valeat, ac molestias

*Discutere, sed naturæ species, ratioque.*

O quam igitur tibi debemus! quamque multum honoribus, opibusque ipsis excelles o philosophia! Alumnis enim tuis paupertas angustior est, & horum tamen tecta culminibus divitum majora sunt

. . . . . His *quærit inanes*
*Luxuries nocitura cibos*: Illis *donat inemptas*
*Terra dapes, rapiunt Tyrios* his *vellera succos,*
*Et picturatæ satiantur murice vestes*
Illic *radiant flores, & prati vivi voluptas*
*Ingenio variata suo. Fulgentibus* heic
*Surgunt strata thoris.* Illic *mollis panditur herba*
*Sollicitum curis non abruptura soporem.*
*Turba salutantum latas* his *perstrepit ædes,*
Illis *avium cantus, labentis murmura rivi.*
*Vivitur exiguo melius: natura beatis*

*Om-*

*Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.*

XXII. Quibus nunc itaque laudibus non erit philosophia extollenda, quibus nominibus non celebranda?

*Quis potis est dignum pollenti pectore carmen*
*Condere pro rerum majestate, hisque repertis?*
*Quisve valet verbis tantum qui fundere laudes*
*Pro meritis ejus, quæ talia nobis*
*. . . . . . . . . præmia liquit?*
*Nemo, ut opinor, mortali corpore cretus:*

Quippe si dicendum est, ut illius postulat dignitas, Dea illa, Dea certa est, quæ

*Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris,*
*In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.*

Quid re vera si ad hæc omnia vel leviter vetustas attendisset, nonne tumultuantem tunc temporis Numinum turbam abjicisset omnino, atque divinis potius philosophiam coluisset honoribus? Nonne hanc potius quam Jovem illum torquentem sydera, de quo, ut libidinosa perficeret furta, modo bubulis fuisse cohonestatum cornibus, modo hirsutas agitantem aures, modo contractis ungulas gressibus ruminantem pallentes herbas, & ex parte postica caudam, suffragines talos molli fimo perlitum, atque intestina prolucie delibutum quondam fuisse jactatur? Nonne hanc potius, quam furem Mercurium, qui simul cum Laverna fraudi-

dibus præſidere furtivis prædicatur? Nonne tandem philoſophiam potius, quam impudicam illam Venerem, adulteram Lædam, obſcænam Perſicam, diſſolutam Pertundam, corruptam Liburnam, ſegniem Murcidam, tum Orbonam, Neniam, Melroniam, Petam, Putam, Patellam? Comparantur etiam aliorum inventa, propter quæ Divi habentur. Ceres fertur fruges, Liber vinum hominibus monſtraſſe; cum tamen ſine frugibus, ac vino Gentes commode vivere poſſint, vix enim ſextam orbis partem triticum, vinumque noſſe Siculus Diodorus teſtetur (*n*); cumque vero ſine felici, pacatoque animo vivere durum, immo prorſus impoſſibile ſit: potiori ergo jure Dea mihi eſſe videtur philoſophia, quæ efficit, ut homines haud fluctibus jactatam, ſed tranquillam vitam degent, omni mortis metu, ac terrore ſublato. Quod ſi qui cenſeant aliorum Numinum, Heroumque egregia geſta plus, quam Philoſophiam utilitatis hominibus attuliſse; magis, magiſque hi abherrant. Quid enim, ut ſolius Alcidis, qui & Numen, & Heroum omnium princeps fuit, facta expendamus, quid, inquam, ingens ille Nemæus leo? quid horrendus Arcadius aper? quid Taurus Cretæ? quid lernæa peſtis hydra ſerpentibus venenatis cincta in nos commiſiſset? quid Tricorporis Geryonis triplex robur? & Diomedis equi naribus ſuis ignem efflantes in Thracia, Regionibus Bi-

(n) *Diodorus Sic. lib.* 3.

Bistoniis, & circa Ismarum montem? quid Arcadiæ volucres Stymphala lacum colentes? & ingens ille tandem serpens Hesperidum custos aureis pomis fulgentium, immitis, atroci adspectu, & mole corporis immanis quo damno nos affecisset, cum remotus jacuerit juxta litus Atlanthæum, & innospitabile æquor, quæ loca, ne barbaris quidem penetrare ullo modo contiguit? Reliqua ejusdem generis monstra, quæ ille Hercules occidit, si non occidisset, & jam viverent, quid nocerent? Nihil, ut opinor. Nam etiam nunc terra feris abundat, & plena est, numero prorsus infinito, monstrorum, quæ per altissimos, magnosque montes, per nemora, ac sylvas trepidum terrorem incutiunt, quæ tamen loca commode quidem evitare homines possumus. At nisi animi essent purgati, quam acerbæ sollecitudines, ac curæ e cupiditatibus ortæ anxium hominem conscinderent? quanti similiter timores? quantas calamitates superbia, lascivia, ac desidia afferrent? Quæ hæc igitur omnia non armis, sed præceptis subegit, ex animoque expulit, nonne æquum erat, ut hanc vel inter sua numina saltem enumerassent Gentes? Quid, *si quod vitæ recte agendæ, beatæque adipiscendæ satis esse possit philosophia invenit, quanto huic justius* inquit Augustinus (o) *divini decernerentur honores? quanto melius & honestius in Platonis templo libri ejus legerentur, quam in templis Demonum Galli ab-*

(o) *Augustinus de C. D. lib.* 2 *c.*7.

*abſcinderentur*, *molles conſecrarentur*, *inſani ſecarentur*, *& quidquid aliud*, *vel crudele*, *vel turpe*, *vel turpiter crudele*, *vel crudeliter turpe in ſacris talium Deorum celebrari ſolet? Quanto ſatius erat ad erudiendam ad juſtitiam juventutem publice recitare leges*, *atque inſtituta majorum? Omnes enim cultores talium Deorum mox*, *ut eos libido pertulerit ferventi*, *ut ait Perſius*, *tincta veneno*, *magis intuentur quid Jupiter fecerit*, *quam quid docuerit Plato*, *vel cenſuerit Cato*. *Hinc apud Terentium flagitioſus adoleſcens ſpectat tabulam quamdam pictam in pariete*, *ubi inerat pictura hæc*, *Jovem quo pacto Danea miſiſſe ait in gremium quondam imbrem aureum*, *atque ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini ſuæ*, *cum in ea ſe jactet imitari Deum*. Nonne itaque juſtius, ac melioris cauſsæ eſsent ſi philoſophiam potius ii, quam Deos illos coluiſsent, qui ea ſerio peragebant, quæ ſi quis faceret in luſu, nimis laſcivus, ac ineptus eſse videretur. O præclaram igitur Philoſophiæ laudem! Merito nos illam diſciplinarum omnium reginam nuncupamus, merito dixit Plato (p) nullum in terris eſse ea majus, aut præclarius bonum. Merito Cicero (q) unum diem ex ejus præceptis actum immortalitati anteponendum.

XXIII. Et hæc modo de Philoſophia, non enim

(p) *Plato in Thimeo*.
(q) *Cic. QQ. Accadem. lib. II.*

enim committam, ut cuiquam videar trasilire eos terminos, quos initio pepigi, potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quæ fusius explicare licuisset, compresserim, ac coarctaverim, quam quod in ulla re dilatanda evectus sim longius justo, neque satis mihi temperare potuerim. Venio nunc ad Philosophos ipsos, quos ita acriter in suo *de falsa sapientia* libello insectatur Lactantius, ut ejus eloquentiæ vi illos prorsus debellatos fuisse credat, idque lectori suo dictarorio modo conatur obtrudere. Sed tryumphum ille canit ante victoriam, nec nos unquam fidem præbemus ei, qui tot virorum gloriæ invidens potius, quam Religioni consulens, quantum potest manibus, dentibusque ab illa detrahere nititur, ipsis objurgando quæ, vel nunquam hi somniaverint, vel quæ, si dixerint, non bene intellexit. Hinc miror profecto eo Lactantium licentiæ devenisse, ut tam inhumano modo de veterum Philosophorum placidis disputaverit, mortuo, ut inquiunt, Leoni adlatrans. En quomodo primum ille modo non suo, nempe *lacteo*, sed quam inepto, tam truculento potius, ac venenato Epicurum excipit, summum nimirum, ac maximum illum sapientiæ antistitem. *Epicuri* inquit (*r*) *disciplina multo celebrior semper fuit, quam cæterorum, non quia veri aliquid afferat, sed quia multos populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus*

(r) *Lactantius Div. Inst. lib.* 3 *c.* 17.

*nus eſt. Propterea ut ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibuſque moribus loquitur. Deſidioſum vetat litteras diſcere; avarum populari largitione liberat; ignavum prohibet accedere ad rempublicam; pigrum exercere, timidum militare, Irreligioſus, audit Deos nihil curare; inhumanus, & ſuis commodis ſerviens, jubetur nihil cuiquam tribuere: omnia enim ſua cauſſa facere ſapientem. ſugienti turbam ſolitudo laudatur; habenti malos liberos orbitas prædicatur: adverſus impios parentes, nullum eſſe vingulum naturæ; impatienti, ac delicato dolorem eſſe omnium malorum maximum dicitur . . . . . Ita homo aſtutus ex variis, diverſiſque modis circulum cogit, & dum ſtudet placere omnibus majore diſcordia ſecum ipſe pugnavit, quam inter se univerſi. Unde autem diſciplina ejus tota deſcendat, quam originem habeat, explicaudum eſt. Videbat Epicurus bonis adverſa ſemper accidere, paupertatem, labores, exilia, carorum amiſſiones; malos contra beatos eſſe, augeri potentia, honoribus affici; videbat innocentiam minus tutam; ſcelera impune committi; videbat ſine delectu morum, ſine ordine, ac diſcrimine annorum ſævire mortem; ſed alios ad ſenectutem pervenire; alios infantes rapi; alios jam robuſtos interire; alios in primo adoleſcentiæ flore immaturis funeribus extingui . . .* hinc *pertinaci ſtultitia, cum hæc ille cogitaret; earum rerum velut iniquitate inductus (ſic enim cauſam, rationemque ignoranti videbatur) exiſtimavit nullam eſſe providentiam; quod quum ſibi perſui-*

*suasisset*; *suscepit etiam defendendum*. *Sic in errores inextricabiles se ipse conjecit*.

XXIV. Et o nunc paulisper ab umbris surgeret Epicurus, ut vir disertissimus suimet ipsius causam ageret! o utinam, inquam, ab inferis hic exiret ad illius reprimendam audaciam, cujus licentia quamplurima ad infirmandam ejus gloriam effutiit. At si, inviolabili, constantissimoque rerum omnium opificis decreto, illud modo velle, prorsus sit insanire; non tamen heic ego, sub clara tot Scriptorum illum patrocinantium face diffidam, philosophum hunc nostrum a Lactantii calumniis, quantum in me erit vindicare. Quod ut facilius efficiam, lubet heic primum brevem illam exhibere, quam Laertius (*s*) de illo tradidit απολογιαν, quamque postea eruditissimi Domini Petrus Gassendus (*t*), & Jacobus Rondellus (*u*) majori eloquentiæ apparatu accurate tractavere. In ea enim, cum *quisnam ille fuerit Epicurus*, de quo tanto cum contemptu, nescio quo spiritu moti plerique loquuntur, cognoscatur; facilior certe ad ea, quæ dicturi erimus aditus aperietur." Nonnulli itaque, inquit Laertius, male de Epicuro sentiunt, sed hi profecto in-

K

(s) *Laertius V. P. Lib. X.*

(t) *Gassen. in postrem. libr. sex de vit. & mor. Epic.*

(u) *Rondel. de vit., & mor. Epic. Amstel.* 1694. 12.

insaniunt, nam viri hujus incredibilem animi religionem, ac æquitatem permulti testantur, patria item, quæ statuis aereis illum honoravit, amici quoque tam multi, ut eos ne urbes quidem integræ capere possint. Præterea omnes discipuli, quos illius dogmaticæ syrenes occuparunt; præter unum Metrodorum Stratonicensem, qui ab illo se ad Carneadem contulit; cui forte gravis erat viri incomparabilis bonitas: illiusque scholæ perpetua successio, quæ cæteris ferme omnibus deficientibus, sola persistit, perpetuis vicibus discipulis succedentibus. Summa præterea in parentes pietas, atque præcipua in fratres beneficentia, mansuetudoque in servos, quemadmodum & ex ejus testamentis liquet, & quod secum illi una philosophati sunt; eximiaque, ut in summa complectar, ejus in omnes humanitas fuit. Nam quid de culto in Deos, & de amicitia adversus patriam dicam, quam constantissime usque ad finem tenuit? quippe qui per summam modestiam ad rempublicam accedere noluit. Et cum difficillima tempora tunc Græciam præmerent, semper ibi perseveravit, bis aut ter solum ad Joniæ loca profectus ad amicos, quique conveniebant, ac una cum illo in horto vivebant, ut ait etiam Apollodorus, quem & octoginta minis comparavit. Porro Diocles in tertio Incursionis libro, illos ait vilissimis, & simplicissimis cibis vixisse. Parvo enim, inquit, vini poculo contenti erant, omnisque aqua illis ad potum cedebat. Nolebat autem Epicurus

se-

sectatores suos in commune opes deponere, veluti Pythagoras, qui communia omnia amicorum dicebat. Nam id eorum esse, qui diffiderent; inter diffidentes autem amicitiam non esse. Ipse quoque in epistolis aqua tantum, & cibario pane se contentum esse testatur. Et mitte, inquit, mihi casei cythridii paululum, ut cum epulari prætiosius voluero, possim. Hujusmodi illius erat vita, qui tam a nonnullis negligitur, ac contemnatur: quem Athenæus ita suo laudavit epigrammate

*Quis furor, o cives, ut vos ob vile lucellum*
*Rixas, & bellum sollicitetis atrox?*
*Nam natura omnibus facile est contenta pusillis,*
*Contenta at nullis ambitio est opibus.*
*Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe Camœnæ*
*Aut Suadæ tripodes edocuere sacri.*

( Et hæc de Epicuro Laertius ). Hunc itaque tot virtutibus tam abunde cumulatum, provvidentiam unquam negasse suspicemur? Hunc, inquam, suæ nempe ætatis ornamentum tanta impietate fœdatum credemus? Scripta re vera ejus evolvo, at in illis omnia longe dissimilia; multa de Deo pie, adversus metum fortiter, intemperantiam severe, libidinem caste disputantur, quæ hortari ad virtutes, a vitiis omnibus possint deterrere, plurima; & qui ad illius præcepta vitam, moresque componit, illum privati habebunt integerrimum Amicum, religiosum Civem Respublica. Traditionarium itaque potius fuit, o Lactanti, dog-

ma illnd Epicuri, & ab eo forsan perperam collectum, quod fortuitæ hic atomorum concursioni mundi hnjus originem tribuerit; quod quo pacto provvidentiæ notionem excludat prorsus me nescire ingenue fateor. Quid enim aliud nobis providentiæ idea exhibet, nisi, ut præclare Scriptor quidam Gallus inquit (*x*) „ un ètre, qui au milieu „ de ce vaste univers, dispose, gouverne, arran- „ ge, regle tous les evènèmens, place chaque „ crèature dans son rang, donne a chacune sa „ misure, son degrè, sa proportion, les règit „ toutes par une opèration aussi douce que puis- „ sante, opere dans les hommes, & par les hom- „ mes, tout ce qu'il lui plaìt, quand il lui plait „ en la maniere qu' il lui plait, n'est jamais ar- „ rètè dans ses desseins par l'opposition & la du- „ rète des coeurs, parce qu'il a en main une au- „ toritè toute puissante pour les incliner de quel- „ che cotè qu' il veut; conduit enfin & chaque „ creature en particolier, & toutes en gènèral, „ à leur fin, & les rèunit pour composer ce grand „ tout dont il a formè le dessein dans la pro- „ fondeur de ses conseils? Quod haud Epicurus negavit, sed sub *FATI* quidem nomine agnovit. Potius itaque in vocabulorum delectu reprehensione ille dignus videtur ( quod in eum ipsemet Seneca observavit) quam in re ipsa; licet & quoad il-

(x) *In lib. cui tit.* **Action de Dieu sur la crèature.**

illud quoque defendi possit, cum eo tempore scripserit, quo doctrina de Fato tam altas apud Plebem præsertim radices defixerat; ut nulla vi, nullaque arte posset evelli: hinc in illius gratiam Philosophi quammulta tunc invito pectore vel sequi debebant, vel saltem meticolose, ac paventer veritatis dogmata proferre.

XXV. Et re vera, quis nostrum non credat in plebejorum gratiam nonnulla non solum tum recepta, verum etiam quammulta a Philosophis prorsus fuisse conficta, cum magis illos fabellæ afficerent, quam suis coloribus, proprioque habitu protracta veritas? Manet & nunc mos ille a longo seculorum intervallo repetitus, Pythagora Samio hominum sapientissimo, & ejus sectæ addictis olim usitatus, qui, ut e mortalibus obtineret, ne quis

. . . . Λογω σε παρειπη, μητε τι εργω
Πρηξη, μηδ' ειπη ότι, τοι μη βελτερονειη,

Neve mentem purgatam nova vitiorum fæditate polluerent novo μετεμψυχωσεως figmento animos, sua sponte, & seculi vitio ad solutiora consilia proclives, facile rexit. Nam triplici sua animarum migratione sen πορια, hominis in hominem alium frugis melioris, vel deterioris; hominis in bestiam; & ejusdem in plantas: pænarum, præmiorumque specie vitam nostram instruxit, quorum animæ sui meriti virtute vel in majora corpora insinuantur, vel corporibus inferiorum ordinum vera communicatione per vices immittuntur. In qua muta-

patriæ amorem vilem in ignobili pectore experti erant ſtabulari. Hic enim contemptus fortes in hoſtem pariter, & ignavos armabat immortalitatis dulcedine, aut vitæ ſequuturæ. Ipſe Romanæ conſtantiæ princeps Cato in ſui exitium lecto *de animarum æternitate* Platonis libro permotus, arcanum hoc propria nece, aut invexit, aut ſtabilivit, eodem exemplo, quod pari animi generoſitate ſequutus eſt Ambraciotes ſui lapſus, & præcipitii voluntarius Auctor. Occultam hanc cauſſam preſſit magnus Plato noſter, dubium majori auſu, an conſilio, quum ex Republica, quam ipſe fingebat ad ideam ſuam, Homerum juberet exulare (23) quia plurima de inferis, & animarum ma-

(23) Homerum e ſua in aliam Rempublicam ejecit Philoſophus; ſed juſſit eum lana coronatum, & unctum educi. *Dimittamus eum*, inquit, *in aliam urbem unguento caput ejus perfundentes, & lana coronantes*. Volebat enim eum dimitti non tanquam hominem ſceleſtum, & infamem ſed tanquam hominem divinum, dignumque qui ad inſtar Dei ungeretur, & lana coronaretur, hoc eſt divinis afficeretur honoribus. Unguento enim caput perliniri, temporaque lana coronari Diis tantum rebuſque ſacris honos hic habebatur. Hinc Lapis ille Delphicus lana feſtis diebus ornabatur, ut Pauſanias nobis *in Phocicis* teſtatur: *ab eo*, inquit, *monimento cum rurſus adſcendere inceperis, lapidem videas modice magnum. Hunc quotidie oleo perfundunt, ſingulisque feſtis lanam in eo ponunt rudem*. Hinc & arborem ſacram Arnobius *lib. V.* lanarum velleribus colligatam, & circumvolutam dixit: & Plutarchus *in Theſeo* ramum ex olea ſacra decerptum lana alba recinctum fuiſſe ait. Sic ſolebant Lares lana coronari & fores, ac aræ templorum, cum ſacra diebus ſolemnibus eſſent acturi, laneis tæniis ornari. Quod ſic nobis declaravit Propertius *lib. IV. c. 6.*

*Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores*
*Terque focum circa laneus orbis eat.*

Homerum quidem Plato unus omnium maximi faciebat, & ob artis divinitatem mirifice celebrabat, ejusque ſententiis utebatur frequenter ad docendum, verbis vero & loquendi generibus ad dictionem expoliendam. Hæc eſt vera ratio, cur uncti, & *ſtus* voluerit coronari Homerum Philoſophus: non quod tanquam exul, & civiliter mortuus fuerit ejectus, quia mortui ungebantur: nec propter Poetarum mollitiem, quam laneæ corona ſignificaverit, ut hercle Muſarum, & Platonis ingratiis docuit Andreas Schottus *Nodorum Ciceronianorum lib. 3. cap. 12.* Hæc Georgius Grævius *in Lection. Heſiod. cap. 23. ad verſ. 499.*

pœnis poemati inſperſa fortitudinem magnis, parviſque pectoribus eximebant. Hinc apertius nobis liquet, omnibus omnium ætatum ſapientibus vulgatius nihil, nihil antiquius fuiſſe, quam vel fugere, quæ nuſquam erant, vel veris quamdam magnitudinis ſpeciem ſuperaddere, qua ad majorem virtutem ambiguos vulgi animos flecterent.

XXVI. Quapropter dum veterum Philoſophorum placita ſunt improbanda, id poſt arctiſſimam, et accuratam meditationem fieri debet, o Lactanti, non vero ſemel illis, aut iterum auditis, vel lectis. Qua de re videris tu mihi eloquentiæ tuæ viribus plus æquo, quandoque confiſus, paulo audacius aut abjeciſſe pleraque, aut multo aliter, quam veritas habet, intellexiſſe; inque his magnam tibi invidiam eo comparaſſe, quod ita ſuperbe, ita ſecure, ita audacter diſſeras, quaſi tu extra omnem ingenii aleam poſitus errare, & labi non potueris, omnium autem errata non videre ſolum, ſed etiam te te olfacere credideris. Sic enim Stoicos tu quoque derides, quod *miſericordiam* tanquam animi morbum ab homine ſuſtuliſſent; cum illi de vocabulo potius diſputarent, & quod nos *miſericordiam*, *clementiam* illi vocarunt. *Miſericordiam* enim ægritudinem eſſe, ſive perturbationem, contractionemque animi a ratione alienam dicebant, eamque non cauſſam, ſed fortunam ſpectare; quum e contra *clementia* ad rationem accederet. *Sapiens ergo*, inquit Seneca Zenonis ſui

ſui dogma defendens (*c*) *non miſeretur*, *quia & ſine miſeria animi non fit*: *cæterum omnia*, *quæ qui miſerentur*, *dolentes facerent*, *hic libens*, *& alacri vultu clemens faciet*. *Succurret alienis lacrymis*, *non accedet*: *dabit manum naufrago*, *exuli hoſpitium*, *egenti ſtipem*: *donabit lacrymis maternis filium*, *& catenas ſolvi jubebit*, *& ludo eximet*, *cadaver etiam noxium ſepeliet*. *Ac faciet iſta tranquilla mente*, *vultu ſuo*. Quæ quidem omnia ad oculum oſtendunt, Stoicos ab homine *miſericordiam* non ſuſtuliſſe eo ſenſu, quo a nobis nunc illa accipitur, ſed eo potius, quo revera accipi debet; haud enim libenter illi acerrimi nempe verborum cenſores patiebantur, vocabulum, quod animi ægritudinem exprimebat, in medio hominum uſu *pietatem* ſignificare. Quod argumentum præter Senecam, ex recenſioribus Juſtus Lipſius (*d*), ac Caſparus Scioppius (*e*) Viri Præclariſſimi fuſius tractavere.

XXVII. Jam jam itaque hoc modo, quam breviter potui, explicatis Stoicorum, Pythagoræ, & Epicuri de provvidentia, de animarum methempſycoſi, ac de miſericordia ſententiis; deſcendamus modo pauliſper ad Philoſophos illos, qui Antipedas eſse exiſtimarunt: in quibus deridendis non minor certe, ac in cæteris, fuit inſcitia, ac amentia

L tua

(c) *Seneca de Clementia lib.* 2.
(d) *Lipſius Manuduct. ad Phil. Stoic.*
(e) *Scioppius Element. Phil. Stoic.*

tua o Lactanti; *Quid illi*, inquis, (f) *qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant*, *num aliquid loquuntur? aut est quispiam adeo ineptus*, *qui credat esse homines*, *quorum vestigia sint superiora quam capita? aut ibi*, *quæ apud nos jacent*, *inversa pendere? fruges & arbores*, *deorsum versus crescere? pluvias*, *& nives*, *& grandinem sursum cadere in terram? & miretur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari*; *cum philosophi & agros*, *& maria*, *& urbes*, *& montes pensiles faciant?* Sed quid re vera? ad hæc ne stupescis Lactanti, neque horum causam vides? Posquam ignoras, quod nunc pueri loquuntur! & o nunc tu inter vivos esses, ut Cicero Christianus ab homuncio indiserto docereris. Nihil enim hoc ad tuam coarguendam stultitiam satius est, quod Antipedas esse negas. Quippe cum terra in globi speciem conformata sit, quod mox quidem probabimus, & ab omnibus coeli partibus perpendiculà pondera, fruges, arbores, mænia, pluvia, nives, grando, ac grana omnia in suis collibrata nutibus in centrum Mundi vergant, nec magis pensiles Antipodes, quam nos sumus; nec debemus illis nos magis, quam illi nobis ruinam existimescere, cum utrisque sit eadem ratio. Antipodes enim sunt super terram quemadmodum & nos, & nos infra terram. Quis enim vel primis physicæ rudimentis imbutus nescit, omne id, quod sua gravitate centro innititur, quacumque parte

(f) *Lactantius D. J. lib. 3. c. 24.*

parte circumferentiæ locatum ſit, deorſum verſus niti? quod autem a centro reclinet, aut ſe expandat ſurſum tendere? cum igitur pedibus in terram verſus centro innitantur caput ſurſum proferant, ut nos in cœlum; caput habent veſtigiis ſuperius. Quis enim ambigat in ſphæra terræ ita ea, quæ inferiora dicuntur ſuperioribus ſuis eſſe contraria, ut & Oriens Occidenti? nam in utraque parte per diametros habetur. Cum ergo, & Orientem, & Occidentem ſimiliter habitari, eorumque incolas, nec caput deorſum verſus veſtigiis inferius habere, nec in cœli partem illam inferiorem cadere conſtet, quid eſt, quod fidem hujus quoque diverſæ ſibi habitationis excludat? non itaque dum Antipodas eſſe dicimus, in cœlum illos præcipitare, ac in ſpatium illud inferius cadere ſequitur; ſiquidem ob eamdem rationem, nec terra, nec aqua ipſa ibidem conſiſterent: ſed ſub noſtro hemiſpherio non eſt, niſi quod ad aduſque centrum demittetur, quod cum pretergrederis omnis linea ducta in quamcumque partem ſurſum tendit; niſi forte Anaxagoram hac in re ſequi velimus, qui ſphæræ tantum partem, qnæ ſupra nos, ſurſum eſſe, & quæ ſub pedibus eſt, deorſum vergere putavit, cujus opinionem Ariſtoteles (*g*) docte quidem refutavit. Nec niſi improprie cœlum infra nos dicere ſolemus, veluti Vitruvius (*h*) ſydera verſabunda,

 la-

(g) *Aniſtoteles lib.* 3. *Met eororum*.
(h) *Vitruvius lib.* 9.

latentiaque, quæ nobis non oriantur, sub terra esse ait h. e. sub horizonte. Quod quidem a Marone (*i*) ex communi ratione loquendi depromptum est, cum de Austrino vertice hic eloquens inquit

. . . . . . . . . *At illum*
*Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.*

Cum revera, ut Aristoteles quoque asserit (*k*) vertex meredianus sit ex natura rei sursum; quod licet haud a doctissimo Poeta ignoraretur, maluit attamen veteres imitari, quam diversum sermonem afferre, prout in eum Servius observavit. Vitruvius certe boreale latus summum dixit, ut eo modo polus Austrinus imus, & sub pedibus esse intelligatur. Nos vulgo Austrinum polum, respectu arctici, qui nobis ad latus habitantibus erigitur, pressum, declivemque dicere solemus. At sub pedibus esse, nemo, nisi improprie dixerit, nisi sub pedibus hoc est sub horizonte, ut dixi, intelligas: quæ omnia Narniensem Galeottum virum doctissimum in suo, quem *de incognitis* inscripsit, libro animadvertisse memini.

Sed aliam longe caussam, cur Antipodas negares, te habuisse video, nam & Mundi, & terræ rotunditatem negas, immo ab illa errorem nostrum ortum fuisse adfirmas, Lactanti. *Hujus*, inquis, *erroris aperienda nobis origo est. Nam semper eo-* dem

(i) *Virgilius Georgicorum lib. I.*
(k) *Aristoteles de Cœlo, & Mundo lib. 2.*

*dem modo falluntur* Philosophi. *Cum enim falsum aliquod in principio sumpserint, veri similitudine inducti, necesse est eos in ea, quæ consequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula; quia necesse est falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem; qualia sunt ea, quæ sequuntur, non circumspiciunt, sed defendunt omni modo; cum debeant prima illa, utrumne vera sint, an falsa, ex consequentibus judicare. Quæ igitur illis Antipodas ratio perduxit? Videbant Syderum cursus in occasum meantium, solem, atque lunam in eamdem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Cum autem non perspicerent quæ machinatio cursum eorum temperaret, cælum autem ipsum devexum in omnes partes esse putarunt, quod sic videri propter immensam latitudinem necesse est, existimaverunt rotundum esse Mundum sicut pilam. Quod si ita esset, etiam ipsam terram globo similem. Si autem rotundæ etiam terra esset necesse est, ut in omnes cæli partes eamdem faciem gerat, quod si esset, etiam sequebatur illud extremum, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus cæterisque animantibus incolatur. Sic pensiles istos Antipodas cæli rotunditas adinvenit &c.* At indigna prorsus tui sunt hæc, & quæ sequuntur, uti mox vides, Lactanti. Augustinus te omnium longe rerum peritior terram, & mundum rotundum esse negare noluit, nec tibi aliud adfirmanti fidem dare, nam vidit quæ diceris, & quibus innitereris. Quid enim revera stultius, quam

quam Mundi rotunditatem negare? nam præter innumeras tot rationes, quas Physici tradunt, nonne hæc saltem ad illam comprobandam sufficiet, perfectissimo nempe corpori, quale Mundus est, perfectionibus omnibus donatam figuram deberi? Quod autem sphæra sit omnium figurarum tam planarum, quam solidarum perfectissima, hisce patebit rationibus. Primo enim sicut circulus omnes planas figuras, ita sphæra solidas omnes antecellit, nam sicut circulus unica linea, sic sphæra unica superficie concluditur; sicut in circulo maxima est radiorum similitudo, qua a centro uniformiter distant, ita etiam omnes sphæræ partes ab ipsius medio consimiliter recedunt, unde illius maxima pulchritudo apparet; præterea in neutra harum figurarum principium, aut finem est assignare: insuper utraque eundem semper in sua revolutione locum occupat; tandem utraque est omnium figurarum sibi isoperimetrarum maxime capax. Sphæram porro circulo esse præstantiorem hinc patet, quod illa superficies sit duabus tantum dimentionibus longitudine, & latitudine prædita; hæc vera corpus tribus dimentionibus constans latitudine, longitudine, profunditate: quapropter omnium figurarum tum planarum, cum solidarum sphæra obtinet principatum; ideoque Mundum sphærica figura donatum esse colligitur. Terram item planum quoddam esse ad cœlum undique attinens cum pueris, atque imperito vulgu sensus æstimatione persuasus falso exi-

existimasti Lactanti, sic enim sequeretur eodem temporis momento solem, ac cætera sydera omnibus tam Orientalibus quam Occidentalibus oriri, atque occidere, omnes enim unicum haberent horizontem, planum illud videlicet terræ, quod tamen aliter contigit; nam primo Orientalibus, deinde aliis locis successive, & postremo Occidentalibus apparet, & occultatur, ut manifeste in eclypsibus cernitur, quippe quæ nobis in meridie eclypsis exibetur, eadem Orientalibus post meridiem accidet & tanto post meridiem tardius, quanto hi fuerint orientaliores. Quod si revera nobis tantum unus horizon esset, omnes easdem quoque stellas videremus; sed certum est stellas alias videre eos, qui magis ad austrum habitant, stellam enim *Canapum* vident Ægyptii, quam nos minime conspicimus; qua igitur fiducia terram planam esse dixeris, tu videro. Nos illam sphæricam esse una voce asserimus, non quidem geometrice, sed rudi quodam modo, cum ejus superficiem valles, ac montes asperam reddant. Nec vero, si terra rotunda sit, sequitur, quod putas, ut nempe in omnes cœli partes eamdem faciem gerat, id est montes erigat, campos tendat, maria consternat, cum majorem partem terræ sub aquis esse recte cognoscentibus indubium sit. Præterea quis credat, quod tu concessa terræ rotunditate sequi autumas, nullam terræ partem esse, quæ tunc ab hominibus, cæterisque animalibus non incoleretur? Nam esto, tellus circumquaque, quod tamen e-

ve-

venire non potest, ab aquis libera nudaretur: non vero sequeretur, eam ab omni parte habitabilam esse ex multis caussis, quas prætereo. Postremo non sine quadam odiosa petulantia hoc Philosophorum responsum irrides, & contemnis asserentium gravia centro inniti, levia sursum tendere. Et profecto quemadmodum nescire te scribis, quid de his dicas: ita nos, qui tua legimus quid de te dicamus tot erroribus involuto nescire quoque fatemur, contra quem certe plurima dici possent. Tandem quod ais, te multis argumentis probare posse cœlum terra non esse inferius, nemo credit hoc Lactanti, quod cœlum terra sit inferius. Mirum est, cum formides, id ab aliquo obtineri posse; cum hoc, admissis etiam Antipodibus, nequaquam sequatur. Nimis in re concessa sollicitus es, & ne cælum cadat times, maxime si deorsum inclinet. Argumentis his jam non erat opus; probare enim id, cujus contrarium est impossibile, non prudentis est, aut eruditi, sed verbosi, & sibipsi suavi labiorum tinnitu blandientis, id quod tu hic Antipodibus calamo peragisse videris.

XXVIII. Cæterum, Lactanti, si hæc Philosophorum placita perperam a te intellecta, claris, ac apertis rationibus defendimus; multa tamen a te non perspecta, futilia prorsus, & falsa in illorum libris esse non nego. Sed quid ex hoc? Num Philosophiæ, num Philosophorum vanitas, quod tu contendis, elici potest? illis potius erroribus

ribus humanam impecillitatem prætexere debemus. Quod si primum esset, o misera certe Christianæ Religionis, quam tantopere in libris tuis defendes, conditio! a quo enim illa vanitatis non redargueretur, cum vos omnes, a quibus ejus fundamenta jacta fuere, qui tam acriter pro ea paganismum oppugnastis, & quorum supercilio, tanquam novi Athlantes, tota illa nititur, quammulta scripsistis, quæ impietatem prorsus sapere deprehenduntur? Et, ne aliorum scripta turbemus. dic tu sodes Lactanti. Qui Spiritus S. substantiam negavit, & errore Judaico dixit, eum vel ad Patrem referri, vel ad filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari? Non tu? (*l*) Qui filii Dei æternitatem non agnovit? Non tu? (*m*) Qui contra fidem historiæ sacræ scripsit Christum nunquam se ipsum Deum dixisse? Non tu? (*n*) Qui Christum ait in Galilæam profectum, noluisse Judaeis se se ostendere, ne eos ad pœnitentiam adduceret? Non tu? (*o*) Qui de præcipuo Christi incarnati officio, sacerdotali nimirum tacuit, & ideo tantum Christum humanam naturam assumpsisse contendit, ut quemadmodum pater, ita & ipse filius esset ἀπάτωρ, atque αμητωρ? Non tu? (*p*) Qui superstitiose de effi-

M

(l) *Apud Hieronym. in epist. ad Demetrianum.*
(m) *Lactant. D.I. lib.* 4. *cap.* 6.
(n) —— *D.I. lib.* 4. *cap.* 14.
(o) —— *D.I. lib.* 4. *cap.* 20.
(p) —— *D.I. lib.* 4. *cap.* 13.

efficacia signi crucis Christi disseruit? Non tu? (q) Qui Angelos tum demum homini custodes adhibitos fuisse ait, cum humanum genus augumentari cœpit? non tu? (r) Qui terræ potestatem ab initio Diabulo tributam a Deo, duoque Demonum genera facta esse asseruit? non tu? (s) Qui bonos Angelos hominum tutelæ adjunctos, dominatorem cœli fallacissimum ad vitia pellexisse, & mulierum concressibus inquinasse, suosque fecisse satellites, ac ministros existimavit? non tu? (t) Qui hominem ex diversis, & repugnantibus rebus a Deo factum putavit? non tu? (u) Qui immortalitatem propriis viribus illum adipisci statuit? non tu? (x) Qui finxit Deum infinitam multitudinem animarum creasse, quas primo fragilibus, & impecillibus corporibus illigatas constitueret inter bonum, malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate assequerentur? non tu? (y) Qui iis tantum ignosci scribit, qui ad peccatum imprudenter, incauteque labuntur: veniam non habere qui sciens peccat? non tu? (z) Qui

(q) *Lactantius D. I. Lib. 5. cap. 27.*
(r) —— *D. I. lib. 2. cap. 15.*
(s) —— *D. I. ibid.*
(t) —— *D. I. ibid.*
(u) —— *D. I. lib. 2. cap. 12.*
(x) —— *D. I. lib. 7. cap. 5. & 14.*
(y) —— *D. I. lib. 7. c. 5.*
(z) —— *D. I. lib. 6. c. 13.*

Qui militiam homini justo licitam non esse putavit, nec accusare quempiam crimine capitali? Qui ideo Deum permittere malum grassari sentit, ut virtutis ratio constaret? Atque hoc fine scripsit permittere Deum errores? Hoc fine diabolum a Deo excitatum? Hoc fine tantam vim natricum, viperarumque factam a Deo putavit? Non tu? (a) Hæc & hujusmodi alia tu, o Lactanti. Quæ quam impia sint, quam falsa quis non videt? Num ex hoc ergo, ut tu Philosophiam, & Philosophos ex quorundam erroribus ita & nos Religionem, ac SS. Patres vanitatis redarguere debemus? absit tanta stultitia a nobis. ignoscamus potius tibi, & quo floruisti, seculo. Hominem enim te non aliter, ac Philosophos illos fuisse credimus, nihilque humani a te alienum fuisse putamus. Velim tamen scias Lactanti omni vitio carere debere, qui in alterum paratus est dicere. Is demum maledicit qui non potest verum ab altero audire. Sed tu omni errorum genere fœdatus, totque nævis conspurcatus es, ut a Manichæorom quoque impietate immunem te haud fuisse nonnulli credant. Multo longius hanc materiam trahere possem, nisi & dissertatio jam concludenda esset, & adhuc aliqua restarent, quæ magis sunt præsenti operi necessaria.

XXIX. Et quidem pauca nunc de Philosophia in communi dicenda sunt, ut jam confirmata causa

M 2 pe-

(a) *Lactan. D. I. lib.6. c. 20. — lib. 5. c.7. lib. 2. c. 17. — lib. de epist. c. 20. — lib.7.c.4.*

peroremus. Summus ille noster Plato, cum tot, taliaque bona in Philosophia esse viderit, justo judicio illam mortalium animos formare, eosque regulis certis, statutisque principiis regere docuit. Et re vera quid est philosophia nisi quæ depravatas præjudiciis, ac erroribus hominum mentes, velut de integro interpolat? Quid nisi velut sol oriens nubium dissipat caliginem? Quid nisi velut sidus, quod Castoris, & Pollucis dicitur, ex orto suo maris rabiem, tempestatesque dispellit? Illa enim divinitus exorta tenebras ignorantiæ fugat, atque errorum procellas suo fulgore dispulit, illa animum fabricat, vitam disponit, agenda, & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. Quot, & quantis igitur non dico laudibus, sed præmiis, si capax esset, non digna erit philosophia? Quid ita? Nempe quod, ut inquit Theognis, multas, magnasque mercedes ferret philosophia, si quemadmodum Circe herbis, & cantibus suis homines statim convertebat in feras, ita illa suis præceptis ex feris homines faceret, idest homines ferarum simillimos ad virtutem e vitio, ad rationem a furore, ad humanitatem ab immanitate revocaret. Quod in quam plurimis effecisse philosophiæ gloriari licet. Quid enim, nisi illa fuit, quæ, ut de cæteris taceam, Polemonem ab infami vita, moribusque perditissimis ad bonam frugem, & ad severitatem revocavit? *O itaque vitæ philosophia dux!* non possum heic cum Latinorum omnium elo-

eloquentissimo Tullio non exclamare (b), *o virtutis intagratix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, ed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti. Tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti. Tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugibus, tum literarum, & vocum comunione junxisti, tu inventrix Legum, tu magistra morum, ac disciplinæ fuisti! . . . . . At philosophia quidem tantum abest, ut proinde ac de hominum est vita merita, laudetur, ut a plerisque neglecta a multis etiam vituperetur. Vituperare quisnam vitæ parentem, & hoc parricidio se inquinare audet, & tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset? Sed ut opinor hic error, & hæc indoctorum animis effusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt: nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse Philosophos arbitrantur.* At si per veteres historias tantisper irent apprime deprehenderent quanti fuisse Philosophos non modo apud Græcos, & Romanos; verum etiam apud Persas, ipsosque rudiores populos, atque Tyrannos, qui undique eos hanelabant non tantum, ut apud ipsos agerent, dissererentque apud eos de rebus philosophicis, sed ut leges, quod majus erat, & gloriosius Civitatibus scriberent, atque ita Civium vitam instruerent.

Quid? nonne a Pythagora Crotoniatæ enixo petierunt studio, ut Senatum ipsorum, qui mille

M 3 ho-

(b) *Cicero Tuscul. QQ. lib. 5.*

hominum numero constabat consiliis suis uti pateretur (c)? Nonne Platonem Arcades, & Thebani (24) missis legatis summo studio rogarunt, ut ad se veniret non modo ad gubernandos adolescentes, verum ut sibi leges scriberet (d)? Nonne Demetrius Phaleræus & Athenis summa cum gloria remp. rexit usque dum solita Atheniensium invidia eum expulit, & in Ægypto ad Ptholomeum scribendis legibus præfuit (e)? Nonne legibus correxerunt Respublicas Zeleucus quidem Locrentium Charondas vero Catanensium, item Rheginorum, cum in exilium ejectus esset a Catana? Nonne Tarentinis legislator fuit Architas? nonne Solon Atheniensibus? Bias, & Thales Joniæ? Nonne Chion Lacedemoniis, Mythileneis Pittacus, Rhodiis Cleobulus (f)? Quis tandem inficias iverit

(c) *Apud Valer. Max. lib. II.*

(d) *Apud Laertium in Platone.*

(e) *Apud Tullium lib. 2. de Fin. & lib. 3. Tusf. QQ.*

(f) *Apud Ælian. V. H. lib. 3.*

---

(26) Locus hic nisi illustretur ex Historia, & Diogene Laretio obscurus videbitur, & forsan suspectus si quidem omnia hic pariter egisse dicuntur Arcades, & Thebani, quasi essent unus, aut certe victni invicem populi; cum tamen alter in Mediterraneis Peloponnesi, alter extra Peloponnesum supra Atticam habitaverit. Nempe ergo post Leuctricam pugnam Epaminondas Thebanorum dux suasit horum fœderatis Arcadibus, ut varia minora oppida, aut pagos in unam majorem urbem contraherent. Quod & illi fecerunt condentes tunc την Μεγαλην Πολιν *Megalopolim* adjuti ab Epaminonda, & Thebanis. Vide Pausan. in *Arcadicis* p. 238. & *Beoticis* p. 293. Inde ergo est, quod Arcades & Thebani pariter, missis legatis rogavisse dicuntur Platonem, ut novæ huic urbi leges scriberet, sicuti id diserte prorsus tradit ex *Pamphili Commentariis* Laertius in *Platone* n. 23.

vit etiam Periclem Xantipphi filium, & Epaminondam Polimnidis, & Phocionem Phoci, & Aristidem Lisimachi, & Ephialtem Sophonidæ filios & Philosophos, & Legislatores fuisse? Qua de Plato ad Dionem scribens, sic fuit divino ore loquutus: *Mihi vero compertum est Respublicas omnes, quæ nunc sunt, improbe gubernari. Nam quantum ad leges attinet insanabiles ferme sunt nullo instituto egregio, sed fortuna qualem viventes. Quapropter dicere adductus sum, laudans rectam philosophiam, quid justum sit, & quid tam in republica, quam in privata per eam dumtaxat discerni. Itaque non prius desiturum humanum genus in malis versari, quam aut homines recte, vereque philosophantes rerum publicarum gubernationem adepti fuerint, aut hi, qui gubernant divina quadam sorte vere philosophentur.*

XXX. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. Ad quid enim heic amplius immorari? ad quid plura inquirere pro vindicanda Philosophiæ dignitate? Nonne ad hanc evinciendam vel hoc tandem satis erit, nempe quod illa sit parens omnium virtutum. Quod si apud Romanos tam magni quondam virtus erat, ut M. Marcellus quinctum consulatum degens Senatus-consulti, Populique jussu, fana, atque ædes ei dicaverit; quanti apud nos modo philosophia esse debet, cum virtutum omnium illa sit effectrix? quod si quis negare velit, nos e Philosophiæ castris ad repellendam hujus

(g) *Apud Athenæum lib. IV.*

hujus insaniam primum in aciem educemus illud honestatis, illud modestiæ, frugalitatis, fortitudinis, innocentiæ, omnis denique virtutis specimen, ac exemplar Socratem, qui ita vixit, ut hodie quoque nomen illius non hominis, sed integritatis, & innocentiæ nomen putetur. Cui Carneades, Xenophon, ac Plato succedunt de quorum humilitate, honestate, æquitate, cæterisque virtutibus satis copiose scripsit Ælianus (*h*) Proxime hos Xenocrates de cujus continentia dixit Phrine (*i*) de frugalitate Alexander (*k*) de fide, & justitia universus populus Atheniensis, qui, ut est apud Tullium (*l*), cum dicto publice testimonio ad aras jurandi causa se accederet una voce revocaret, ac jurare vetuit, parum sibi docorum ratus tam spectatæ fidei viro, nisi jurato non credidisse. Et ut verbo absolvam, tota vetus Academia, & Peripateticorum lycæum, & illa non tam Miconis, & Polignoti picturis, quam Zenonis & Crysippi disputationibus nobilitata porticus, quibus ex omnibus tanquam virtutis, ac doctrinæ officinis innumerabiles viri prodiere. Agmen tandem claudent Epictetus, Plutarchus, Arianus, Tyrius Maximus, cæterique illi ætatis suppares, quos ita philosophatos accepimus, ut iis quibus cum vivebant ad omnia recta, & laudabilia

(h) *Ælian. V. H. lib.* 3. 5. 6. 8.

(i) *Phryn. lib.* 2.

(k) *Alexan. ab Alexan. Genial. Dier. lib.* 5.

(l) *Tull. ad Atticum.*

bilia non voce magis, quam exemplo præirent.

XXXI. Si itaque philosophia scientia est, quæ tranquillat animos, quæ eos a teterrima vitiorum servitute ad justam plenamque libertatem traducit, quæ & singulos privatim, & publice totas civitates conservat, quæ denique omnium virtutum parens est; o habetes igitur, ac stupidos, aut, ut verius dicam, miseros, & perditos, qui harum rerum suavitatem, fructumque non sentiunt: contra vero o ter quaterque beatos, ac felices illos, quarum ita est affectus animus, ut nusquam suavius, quam in his studiis conquiescat. Non eos voluptatum illecebræ emolliunt, non eos affluentium opum, ac honorum sitis, sed liberi, ac pravis omnibus voluptatibus soluti ex puris, dulcibusque favis mella veræ felicitatis exhauriunt, ex illis perpetuo virentibus campis flores suavissimos colligunt, ex quibus qui odores efflantur, eorum nusquam est intermoritura suavitas, philosophiam toto ex corde diligunt, ea fruuntur, eà se oblectant, eam solam charam, & jucundam habent. Sive ergo domi, aut foris versantur nunquam eam derelinguant, nec etiam si quid eis adversum accidet: quin imo si quid ipsis contiguerit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, statim eis fit earum lenimen. Itaque multi cum in potestate essent hostium, aut Tyrannorum, multi in custodia, multi in exilio dolorem suum philosophia omnino levavit. Quid enim de Demetrio Phaleræo nuper lau-

laudato loquar, qui, ut apud Tullium (*m*) extat, cum pa-ria pulſus ad Ptolomeum ſe regem Alexandriam contuliſſet, cumque animum ſuum illa calamitate, qua oppreſſus erat, eximere ipſe vellet, nonne e Philoſophia, tanquam de narthecio dolorum omnium medicamenta deprompſit? Et o igitur inclyta, atque inſignis philoſophia! Tu nobis veluti Helice, aut Cynoſura quæpiam es, ad quam univerſæ navigationis noſtræ curſum dirigi debet. Tu navis, id eſt, vitæ noſtræ tuta, ac ſtabilis anchora. Tu ingnis ille cæleſtis es, quem Numina in terris attulerunt, ſine quo vita conſtare non poteſt. Beatos itaque, qui ad te tanquam ad portum confugiunt, beatos qui a teneris unguiculis ſe ſe tibi tradiderunt: Miſeros contra, qui ut Proci Homerici ancillarum amoribus irretiti, te quæ vera ſcientia eſt, negligunt, atque contemnunt. Quod ſi ita ſit, heu nunc igitur quiſque agat, & in tuta hac philoſophiæ arce ſe collocat, e qua alios deſpectare poſſit, videre paſſim errare, & viam vitæ quærere miſere vagantes; certare ingenio, nobilitate contendere, improboque labore nocteis, atque dies conari maximas divitias, aut ſummos honores acquirere.

*Suave mari magno turbantibus æquora ventis*
*E terra magnum alterius ſpectare laborem;*
*Non quia vexari quemquam' ſt jucunda voluptas,*
*Sed*

(m) *Apud Tull. lib. 5. de fin.*

*Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave' st.*
*Suave etiam belli certamina magna tueri*
*Per campos instructa tua sine parte pericli;*
*Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere*
*Edita doctrina sapientum templa serena.*

Cujus in carminis sententiam sic delicias meas SCIPIONEM Fratrem Musis charum, & Mente, & calamo tam, quam fingi potest, velociter currenti, patrio sermone quondam lusisse memini.

*Piace talor dal lido,*
*Mirar nel flutto infido*
*Il vento, che confonde*
*L'onde = e riduce in pene*
*Il pavido Nocchier.*
*Ma tal piacer non viene*
*Nell' uom pe' danni altrui;*
*L' esser sicuro in lui*
*Cagione è del piacer.*
*Lontan da ogni periglio*
*Piace mirare ancora*
*Campo di Marte, allora*
*Che militar consiglio*
*Feroce è nel pugnar.*
*Ma ogni piacere eccede*
*Se da virtù guidato*
*Possa ei de' Savj Amici*
*Nella serena sede,*
*Nel tempio fortunato,*
*Godendo aure felici,*
*Tranquillo riposar.*



